

Nac 9



IO. LIBORII ZIMMERMANNI,
S. THEOL. IN ACADEMIA HALENSI
OLIM PROFESSORIS ORDINARII,

b. COMMENTATIO
DE
EMINENTIA
COGNITIONIS
IESV CHRISTI,

TAMQVAM
RECTÆ, FACILIS ET BEATÆ VIÆ
AD
VERAS ET FIRMAS VIRES
IN CHRISTIANÆ VITÆ STUDIO
ACQVIRENDAS.

EX GERMANICO IN LATINVM
CONVERTIT

I. H. G.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS ET IMPENSIS ORPHANOTR.
M DCC XLIX.

632

10. TOTI SUMMAMIN
THEOL. IN ACADEMIA HALLENSI
SCHOLARUM ET STUDIORUM
CITATUM
EMINENTIA
COGNITIONIS
TESAURARII
RECITERE TACITI ET PRAECEPTE
HABENDA
IN CIVITATE ALICE SILENTIO
ACQUIESCENS
EXCERPTA IN LUTINAM
COLLECTA

L H E

LIBERIS ET IMPRESORUM
MIXTUM



I. N. I.

MA X I M U M quidem discrimen intercedit inter hominem mundanum, dominio peccati & potestati satanæ adhuc subiacentem, & inter genuinum christianum, qui vera resipiscencia & animi mutatione ad Deum conuersus est: verum inter illos ipos, qui in I E S U M C H R I S T U M , seruatorem suum, integro ac sincero animo sunt, non exigua reperitur diuersitas. Alia enim conditio est eorum, qui in plenam gloriosi euangelii beati Dei lucem transferunt, alia illorum, qui sub legali anxietate & seruili timore, et si serio ac sincere, Deum colere enituntur. Ni-

Status eorum legatis.

mirum bene multi inueniuntur inter Dei liberos, qui in profunda miseriæ suæ cognitione constituti sunt, omni mundanæ cupiditati valedicere & coram Deo integre viuere magnopere desiderant. Quum ve-

to ad genuinum fontem non accedant, in omni bono proposito & operoso conamine suo viribus, alacritate animi & solatio-

Discrimen
liberorum
Dei.

destituti manent, a peccato transuersum
abripiuntur vel inuiti, & quanto maiori ini-
su eo adlaborant, vt ex miseria sua emer-
gant, tanto altius in illam immurguntur
quotidie, vt tandem aliquid amplius au-
dendi & in cursu christianismi felicem vi-
ctoriam & consummationem obtinendi ani-
mum ferme despondeant. Quum igitur
sciam, eiusmodi adfictas mentes et-
iam inter nos esse, constitui mecum ex
hymno ecclesiastico: *Es ist nicht schwer ein
Christ zu seyn &c. h. e.* Non est difficile
christianum esse &c. & qui in hunc ipsum
finem compositus est, de hac materia age-
re, ex eoque ostendere.

**Rectam, facilem & beatam viam
veras & constantes vires in chri-
stianismo sumendi.**

v. I.

*Es ist nicht schwer ein Christ zu seyn,
Vnd nach dem Sinn des reinen Geistes leben.*

*Zwar der Natur geht es gar sauer ein,
Sich immerdar in Christi Tod zu geben.*

*Doch führt die Gnade selbst zu aller Zeit
Den schweren Streit.*

Metaphrasis prosaica.

Difficile non est, christianum esse, & ad
mentem puri spiritus vivere. * Naturæ
quidem valde molestum est in Christi mor-
tem

tem sese perpetuo tradere: ** Gratia tamen ipsa *** omni tempore durum certamen dirigit.

Interpretatio metrica.

*Non est difficultis res, veri nominis esse Christicolum, & puro Flamine sponte regi.
Et quamvis sit naturæ durum atque molestum,
Perpetuo in CHRISTI cuncta referre necem:
Larga tamen Servatoris victrixque potentis
Gratia certamen dirigit usque graue.*

* Hæc verba generatim de christianismo euangelico, siue ratione vivendi euangelica, agunt, quatenus legali opponitur. Nimurum vitæ christianæ studium certo respectu impossibile, alio vero modo difficile & tandem minus difficile siue facile vocari potest. *Impossibile* est homini mundo, qui veram conuersionem & *metanoia*, siue resipiscientiam subterfugit, nec non iis omnibus, qui quidem æternæ salutis desiderio tenentur, eaque propter a quibusdam peccatis se abstinent, neque vero suis omnibus valedicunt, sed in animo adhuc fountent dolum. *Psalm. XXXII, 2.* *Difficile difficile*, autem est, si quis sine viribus, ex CHRISTO impetratis, in sola miseriæ suæ cognitione & efficacia legis subsistit, propriis viribus operatur, animumque ad varia exercitia applicat; ita quidem, ut fidem suam super operibus, & iustificationem siue remissio-

Quatenus
vitæ chri-
stianæ stu-
dium sit

nem peccatorum super sanctificatione superstrudam cupiat: qua ratione ad constantem conscientiae pacem diuinique amoris gustum numquam peruenire potest, tantum abest, vt plenam victoriam de diabolo, mundo ac peccato reportare dominiumque in istos hostes spirituales obtinere possit.

facile. *Io. XV, 5. 1 Ep. V, 20.* E contrario *facilis* ac beata fit homini ex Deo nato vita christianæ ratio, si in luce euangelii viuat, vbi agnitione omnis eius boni, quod est in ipso per *CHRISTVM IESVM*, fidei communicatio adeo efficax fit, *Philem. v. 6.* vt omnem diuinam potentiam ad vitam & pietatem Deo digne gerendam experiantur, *2 Petr. I, 3. 4.* immo ex ardenti in Seruatorem suum amore ad fructus iustitiae in cælestis sui Patris laudem cumulandos inflammantur. Et de his quidem hoc loco sermo est, quibus difficile molestumue non est, per diuinam gratiam ad mentem puri spiritus viuere.

Natura per legem non superatur. ** *QVOAD* natura, hoc est, homo vetus sive vitiosa caro gratiae imperio non regitur, fieri non potest, vt in mortem *CHRISTI* sese dedat, sed in prauis cupiditatibus suis viuit ac dominatur, in delictis alioqui mortua & a vita Dei alienata. *Ephes. II, I. IV, 17.* Quod si lex naturam superare nititur, viribus illius par non est. Certamen legis stimulo initum valde difficile est & gra-

& graue. In illo præceptum diuinum eiusque comminatio & exsecratio, ira item ac pœna Dei tantum spectatur. Quo autem diligentius illi conscientiæ terrores vitiosæ naturæ opponuntur, eo vehementius hæc ipsa in irritamentis suis & cupiditatibus sævire solet, vt adeo omnibus illis anxiis curis & laboribus mens quidem excrucietur, numquam autem salutare quiddam in laudem Dei & viuificationem animi efficiatur. Hinc gratia accedit, necesse est, quæ mentem cum desideriis suis in Deo & in rebus cælestibus ita figat, vt natura tunc nequam dominari possit; sed gratia heic prævalet naturæ, vt, licet durum ac molestum sibi esse experiatur, in mortem CHRISTI se fæse tradere, & in cupiditatibus suis adhuc se moueat continuo: nihilo minus tamen potentiae IESV CHRISTI manus dare necesse habeat: quo ipso in dies magis atque magis infirmatur ac debilitatur.

*** GRATIA hoc loco non solum Quid sit
æternum & vniuersalem amorem denotat, gratia,
quo motus suum ipsius filium pro omnibus
mortalibus in mortem tradidit; sed potius
prorsus singularem misericordiam cum in-
tegra gratiæ plenitudine ac thesauris salu-
tis, quorum Deus liberos suos in CHRISTO
per fidem participes reddit. Quo proin-
de spectat perfecta & æterna redemptio per

YESVM C H R I S T V M facta , infinita eius & plenissimi valoris iustitia , quam implendo legem & patiendo acquisiuit , inde fluens iustificatio & remissio peccatorum omnium , coniunctaque cum illa incomprehensibilis pax Dei & beata conscientiae tranquillitas , adeo , vt homo a graui delictorum onere per fidem in merita ipsius se liberatum sentiat , vt nulla amplius ira & pœna Dei , nec infelix mors , iudiciumue & condemnatio ipsi exspectanda aut extimescenda sit . Deum potius plena cum fiducia intuetur , vt Patrem suum , per minime fallax Spiritus Sancti testimonium plane persuasus , se ab ipso in filium adoptatum esse . Quid ? quod sublimem illam dignitatem experitur , quod

In quo illa Deus in ipso habitet , & quod sacrosanctæ resideat ac Trinitatis templum se nunc reputare posse. beate transfit. Quamobrem animo filiali ad Deum & Patrem suum per indefessas & fiduciæ plenas preces se conuertit , certam semper exauditionem sibi promittit , & generatim propter Seruatorem suum certus est , fore , vt sibi nullum vñquam bonum desit , sed potius misericordia & benignitas in rebus spiritualibus & cælestibus , vel etiam in temporalibus bonis , quamdiu heic viuat , immo in futura æternitate se perse- quatur . Quo in statu etsi multa tolerare & pati omnino oportet , quoad in corpore suo peregrinatur , eo tamen maiorem

con-

consolationem & recreationem in sinu
CHRISTI, in quo quiescit, colligit, quo
 magis imagini ipsius in perpetrationibus con-
 formis fieri dignatur. Immo vero lētatur
 magnopere, si ad viuam æternæ vitæ spem eo
 ipso excitetur, quod, sicut cum **CHRISTO**
 heic pati non erubescit, aliquando simul et-
 iam gloriosus futurus sit. Quam rem pro
 patria, portione ac hæreditate sua ducit,
 quam persequitur, cui animus eius inten-
 tus est, ex qua gaudium anticipat, & quam
 præstolatur. Vniuersa ista & reliqua in-
 enarrabilis gloria, quam suis per veram fi-
 dem confert **CHRISTVS**, nomine *gratiae*
 venit. Quando igitur hæc ipsa, non au-
 tem lex, internum hominis christiani cer-
 tamen instituit ac dirigit, tum optime cum
 illo agitur, ipse magnam inde voluptatem
 beatamque requiem animi percipit, nec
 portæ orci eum superare aut per peccatum
 a gratia Dei abstrahere & diuellere queunt.
 Certamen autem ipsum, vt breuiter dicam,
 in hoc consistit: Si quis miseriam & natu-
 ræ suæ vitiositatem sentit, simul autem in
 vniuerso terrarum orbe nihil magis nihil
 que vehementius desiderat, quam vt a pec-
 cato liberetur, tum ad fidem sese exci-
 tat, per illam ad vulnera Seruatoris sui se
 conuertit, & per Spiritum Sanctum certus
 redditur, vitia & defectus, quos hoc etiam
 tempore animaduertit, sibi haud nocitu-

Qnomodo
 gratia cer-
 tamen in-
 situat &
 dirigat.

ros, sed iam condonatos esse. Dum per
hanc fidem in immensum gratiae campum
longius semper latiusque deducitur; ani-
mus eius inflammatur & reuiuiscit, ut fides
cognitione multiplicis boni, quod est in
CHRISTO, efficax fiat. Et tum demum
sponte & minus coacte impellitur, ut omnia
damnum esse putet cum præstantia huius
cognitionis Seruatoris sui comparata, con-
tra vero ipsius victimam, peculum, amore
captiuus, immo propria ac casta sponsa esse
& æternum manere cupiat. Tunc in vir-
tute Domini bene beateque incedit & vi-
ctoriam aliam post aliam reportat. Sed ve-
ro præcipua subsidia & adminicula in hoc
certamine sequentibus hymni nostri versi-
culis describuntur amplius.

v. 2.

*Du darfst ja nur ein Kindlein seyn,
Du darfst ja nur die leichte Liebe iben.
O blöder Geist, schau doch, wie gut Ers mein;
Das kleinste Kind kann ja die Mutter lieben:
Drum fürchte dich nur ferner nicht so sehr,
Es ist nicht schwer.*

Metaphrasis prosaica.

Satis est, te esse infantulum; * satis, faci-
jem exercere amorem. Vide, quælo, mens
timida, quam bene de te sentiat Pater. Mi-
nimus infans matrem suam amare potest.
Quare ne time porro nimium, difficile non
est. **

In.

Interpretatio metrica.

Tantum te sis̄as infantis more tenelli,

Cui facile est caram matrem adamare suam.

Hunc facilem pr̄stes, anima imbecillis, amorem!

Crede, Pater tibi quod sit bonus atque fa-
vens.

Pone metum nimium seruumque expelle timo-
rem,

Et res difficilis non erit illa tibi.

* PRIMVM itaque adminiculum, quo Filialis re-
quis ad euangelicam vitæ christianæ ratio- signatio
nem pertingit, est simplex & filialis resigna- animi in
tio animi in Deum. Præcedit scilicet hanc Deum.
filialem animi resignationem alia quædam,
quando homo percellitur in veramque pœ-
nitentiam intromittitur. Tunc enim in pri-
mo statim principio, quando vocationem
diuinam admittit, paratum eum esse & con-
stituere secum oportet, quod ex animo
omnibus valedicere, sibi ipsi renuntiare &
crucem suam tollere velit. Matth. XVI, 24.
Quo vbi per agnitionem profundissimæ suæ
miseriæ & ex magno animam suam liberan-
di desiderio perductus est, omniq[ue] studio
ad id nititur ac contendit; videt autem se,
quantumcunque cupiat, pugnet ac lucte-
tur, propositum suum perficere non posse,
nec per legem ob oculos sibi propositam
villas genuinas vires acquirere posse: hoc
tantummodo desideratur, vt animum in-
duat

duat filialem & cum Deo, tanquam amantissimo & benignissimo Patre, agere discat & conuersari, omnem timiditatem deponat & cum filiali fiducia ductui illius & perfectæ curæ totum se permittat. Quem in finem operam dare debet, vt a tribus validis impedimentis, ab hac re ipsum detinentibus, liberetur, nimirum a seruili timore, ab operatione per suas ipsius vires & arbitrio proprio: qua de re monita nunc statim suggestur, quæ sequuntur.

**Impedi-
menta, me-
tus serui-
lis.**

** *SERVILIS metus* & animi infractio hominem veras vires sumere non sinit. Fundantur hæc vitia in diffidentia & incredulitate, quasi Deus non sit propitia in hominem voluntate; similiter si impuritates & næui tanti existimantur, vt illis contaminatio non liceat ad Deum accedere, nec gratiam in conspectu eius sperare. Hoc ipso fit, vt Deum fugiat, ab eoque semper recedat longius, in mera opera prolabatur & omnia emendare ac iustitiam sibi acquire satagat ante, quam cum fiducia coram ipso comparere velit. Ita animus altius semper sub legem detruditur in dubiumque deuocatur, vt magis atque magis frangatur, salutem ferme desperet & tantum non omnia abiicere constituat. Neque aliter esse potest. Omnis enim vera vis ad diuinam vitam & pietatem vere christianam proficiuntur ex ynione cum Deo & coniunctione

Qione animæ cum C H R I S T O I E S V , quum illi per fidem inseritur & instar palmitis tanquam viii adhæret. Qua ratione per viuam cognitionem & bonorum salutis perceptiō nem succus & vita animo instillatur, ut terrestria & visibilia propter magnam gloriam in C H R I S T O spernat, amore Dei incendatur, & in inuisibilia, cælestia æternaque bona se penitus abdat. Ad hoc ipsum autem pleno fiduciæ accessu ad Deum liberoque ac filiali haustu ex plenitudine gratiæ I E S V C H R I S T I opus est; quæ vero omnia seruilis timor non solum impedit, sed animam quoque exsiccat & torrefacit.

A b hoc seruili timore vt animus libere- Ræmedia tur, discat oportet Deum tanquam pa- contra me- trem & matrem habere, operamque dare, tum seru- vt exsecrendam incredulitatis repræsenta- lema. tionem, quasi sit tyrannus, leo & vrsus, qui igne ac gladio animam continuo persequatur, ex mente expellat. Hoc ipsum veritate niti, innumera sacræ scripturæ loca demonstrant, in primis Ies. XXXXVIII, 14. 15. 16. vbi in hunc modum loquitur Deus: *Quod si dicat Zion, dereliquit me Iehouah & Dominus oblitus est mei. An obliuisci potest mulier fætus sui, ut non misereatur filii uteri sui? Atqui etiamsi obliuiscantur ille, ramen ego non obliuiscar tui. En in manibus sculpsi te.* cetera. His verbis Deus indulgentissimus Animus non solum se cum animo materno compa- Dei mater- rat, *namob* nus.

rat, sed ostendit etiam, se affectu in liberos suos, illos maxime, qui sub cruce, tentatione & sensu miseriae sua ex peccatis oriundae versantur, maternum longe & multum antecellere.

Hoc præstanti adminiculo quisquis rete vti voluerit, eum credere & in sequentibus momentis demonstrare oportet, se filiali in Deum esse fiducia. Vti videlicet infans indisertus, qui in cœnum prolapsus eoque oblitus est, ipse se purgare & abluerre non potest; sed cum stercore & sorribus suis ad matrem omni festinatione properat, firmiter persuasus, illam se non rejecturam nec commissuram, vt in cœno suo pereat: eumdem in modum hominem christianum, qui peccatorum suorum inquinamentum, animi peruersitatem & prauarum cupiditatum motum in se sentit, propterea a Deo profugere illumue reformidare haud decet, sed tanto celerius ad ipsum perfugere oportet, quanto magis ei opus est, vt ab ipso clementer repurgetur. Stulte agit, qui alia quam hac ipsa via a peccatis liberari cupit. Neque enim homo sibi mederi ipse potest, alii mortales multo minus id præstare valent. Nec inuenitur vel in cælo vel in terra ullus aliis peccatorum delector, quam IESVS CHRISTVS, nec quisquam omnipotens est, vt peccatum, mundum & diabolum, in nobis dominantes,

doma

domare possit & frangere, præter Deum viuentem. Si proinde homo ad misericordiam & fidelitatem Dei & CHRISTI confugere haud velit ante, quam iustus & sanctus per se factus fuerit, non poterit non in corruptione sua æternum manere ac peri-
re. Quod si animo illius obuersentur de-
lictæ & innumerabiles noxæ, quibus Deus
offendatur ad iram, que prouocetur: iterum
in mentem Dei maternam penitus introspi-
cere discat. Mater quædam ex naturali
amore in infante suo ferre & tolerare pot-
est longe plurima: Quanto magis statuen-
dum est, Deum miserante animo eos intue-
ri, qui in peccati vinculis & grauissima
mortis captiuitate ex fouea, in qua non est
aqua, ipsi supplicant. Itaque & hoc Deus
per gratiam suam emendare vult, corrige-
re & auferre. Immo si Deus decepsisse ani-
mamque deseruisse videatur, sicut in alle-
gato loco Zion queritur: *Dereliquit me,*
inquiens, Iehouah, & Dominus oblitus est
mei: Deus tamen etiam hac in re more ma-
terno cum liberis suis agit, quandoquidem
istæ tentationes multum profund & ad salu-
tem conducunt, vt nimirum gratiæ illius
fidere discant, eam non sentientes, vt tan-
to ardentius ad Deum clament, eiusque in
amore postea tanto cupidius, reuerentius,
fidelius ac constantius hærent. Hinc Deus
liberos suos sine intermissu & ex omni par-
te

Quomodo
liberi Dei
hoc utan-
tur.

te in sinu suo, animo ac manibus gestat, licet illos saepius de consilio longe secus ducat, quam quidem opinentur, videant & ratione comprehendant. Neque adeo meliori modo seruialis timor & superuacanea anxitudo abiici potest, quam si voluntati ipsius in omnibus viis, quas init, confidere, cum eoque, tanquam filii cum parente, agere consuescant. Hac ratione mens ex legali angore in beatissimam euangeli communionem magna cum consolatione & pace transit. *Rom. VIII, 15. 16.*

v. 3.

*Dein Vater fordert nur das Herz,
Dass er es selbst mit reiner Gnade fülle,
Der fromme Gott macht dir gar keinen
Schmertz,
Die Unlust schafft in dir dein eigner Wille.
Drum übergib ihn willig in den Tod,
So habs nicht Noth.*

Metaphrasis prosaica.

Pater tuus animum tantummodo postulat, vt eum pura gratia sua ipse impleat. * Deus optimus plane nullum dolorem tibi creat. Tedium in te parit tua ipsius voluntas. ** Quamobrem illam sponte tradas necandam. Sic nulla difficultas erit.

Interpretatio metrica.

*Exposcit tantum mentem Pater æquus, vt illam
Replere ipsius gratia pura queat.*

Non

*Non placet huicce Patri te villo cruciare dolore:
 Arbitrium proprium tædia quæque parit.
 Ergo lubens id quotidie sine morte necari,
 Sic mentem anxietas non premet vlla tuam.*

* **A L T E R U M** impedimentum, quod hominem a filiali resignatione animi in cælestem Patrem suum retrahit, est *aaxium studium operandi per se ipsum*. In eo, qui sanctitudinem ex lege captat, hoc ipsum ex fastu operandi animi oritur, quod non vult tamquam nudus & miser peccator aliena & imputata iustitia coram Deo consistere ipsique acceptus fieri, sed propriis operum meritis aliquid acquirere & secum offerre. Vnde miseræ eiusmodi mentes ad varios exter nos cultus, opera & exercitia electitia delabuntur. Quæ res tandem in meram hypocrisim abit, ut rectam vitæ viam deserant animumque suum a dolis & inquinamentis abominandæ corruptionis, quam sibi innatam habent, purgare prætermittant. Verumtamen ea de re hoc loco proprie non loquimur.

C V P I D I T A S ergo *propriis viribus operandi* in anxi & degrauato animo ex servili timore existit. Hic homini paternam & degrauato animo. Dei mentem propter admissa delicta suspectam reddit & ex diffidentia ipsum impellit, vt a conspectu Dei se abscondat ipsumque fugiat. Quum autem homo afflictus faci-

le videat, se iustum illius iudicium evitare
haud posse, nec ullam requiem aliter at-
que in gratia Dei cupiat: ut inuenire possit,
eo plerumque se adduci patitur, vt ipse ali-
quid emendare & suo labore Deum sibi
conciliare velit. Hæc igitur operatio per
vires proprias in eo sita est, quod homo
vires naturales adhibet & intendit, quod il-
læ viis & operationibus Spiritus Sancti con-
tinuo se immiscent Deumque impediunt,
quo minus animum pura gratia implere ipse
possit. Opponit certe malis suggestioni-
bus & cupiditatibus suas ipsius cogitatio-
nes & nisus, argumenta rationis usurpat, vt
vitiorum detestationem & virtutis amorem
consequatur, mentemque suam cogere &
flectere ipse vult, vt ab amore mundi auo-
cetur ad Deumque trahatur. Quid? Si rei
cardinem in fide in **CHRISTVM** versari au-
diat, per preces ex verbo Dei impetranda;
subtilissimum etiam studium viribus
propriis operandi heic potest irrepere, vt
minus quiete & passione, sed importune ad
preces & scripturæ sacræ meditationem
properet, ita quidem, vt fidem & vires
inde extorquere multoque labore vitam
spiritualem in animo suo excitare studeat.
Multum autem damni ista agendi ratio im-
portat. Multi hoc ipso in cogitationem
incident, veram conuercionem & vitam
sanctam proorsus esse impossibilem. Alii,
quum

**Quid sit
operatio
per vires
proprias.**

**Damnum
illius.**

quum vident, fidem ab se ipsis effectam vi-
res dare nolle, eo abripi solent, vt doctri-
nam de imputata C H R I S T I iustitia, de me-
rito illius & iustificatione per solam fidem
sine operibus legis, tamquam erroneam &
noxiā reipliant, contra vero excitatum
a se ipsis & infructuosum sanctitatis studium
vrgeant; qua autem in re variis auiis &
peccati deceptionibus obnoxii sunt. Im-
mo vero oritur etiam inde non raro subfi-
diorum gratiae reiectio, si in præpostero
agendi studio solatium ac vitam præbere
noluerunt. Id certe obserues særissime,
mentes in vitæ christianæ praxi hoc modo
diu detineri eamque sibi longe difficillimam
reddere. Tametsi hoc illis, si tan-
dem in euangelium transeunt, Deo rem
clementer sic moderante, ad multam expe-
rientiam ac confirmationem in salutifera
veritate de C H R I S T O & ad stabilitamentum
fidei solet conducere.

Vt autem explorari possit, an quis ani- Characte-
mum in operando naturalibus suis viribus res illius.
occupatum habeat, ad hoc sequentes cha-
racteres proderunt. *Primus* est, si homo
mentem suam velit confirmare per irrequie-
tum animi labore multamque concitatio-
nem, sine quieta verbi diuini meditatione
& passiuā conuersione ad Deum. *Secundus*,
si aduersus peccati potentiam argumentis
ex ratione petitis pugnetur, cogitationibus

B 2 ab

ab illo haud abductis, nec scuto fidei adsumto, nec gratia Dei & gloria IESV CHRISTI considerata. *Tertius* est, si homo delictis suis obseruatis animum tanto-pere demittat, quasi omnem Dei gratiam effuderit. *Quartus*, si qua opera, quæ bona esse putantur, faciendo peccatumque & pugnam aduersus illud leuius sentiendo mentem suam tranquillet eaque re ad gratiam Dei amplectendam se idoneum esse existimet. At vero hoc luculenter nobis demonstrat, nostrum christianæ vitæ studium ad propriam iustitiam, opera & exercitia redire.

Quomodo quis ab ea liberetur.

VERVM iam ante omnia queritur: *Quo pacto ab hoc naturalibus viribus operandi caeethe liberari quispiam possit?* Atqui hæc omnino ars magna est, quam Deus animam omnium optime docere potest & debet; quo ipso autem in negotio Spiritus Sancti operationes per hominem maxime impediuntur & retardantur. Duabus vero viis eo peruenitur, vt Deo nos in totum submittere & pati discamus, vt animum nostrum gratia sua implere possit. *Primum* necesse est homini, facultatum suarum omnium agnoscere impotentiam & vanitatem, quod nihil prorsus boni rectique praestare valeat, *CHRISTVM* autem omnia in ipso operari oporteat. Quam late hoc pateat, ex sequentibus agnitionis miseriæ nostræ gradibus perspicitur. Non subsistendum est in exter-

externis sceleribus & grauibus delictis, alioquin inde christianismus exsistit pharisaicus, hypocriticus & in operum studio affectans sanctitatem. Nec satis est, vt homo cum malis cogitationibus & cupiditatibus digladietur, quod eo ipso ad anxie extorquenda opera legis omnium maxime inducitur. Immo non sufficit credere, animum a Deo prorsus auersum, ad mundum propensum & in intimis facultatibus corruptum esse; nisi enim hac cognitione ad ipsam fidem in CH R I S T V M se compelli patiatur, ex ista peruersitate non eripitur: sed fieri non raro solet, vt emendationem sui operibus ex proprio ingenio electis efficerre conando in christianissimum mysticum minus sincerum, in externa dura exercitia & rationis suæ ac corruptæ naturæ inflatiōnem abripiatur. Hinc id in primis experiiri de se debet homo, incredulitatem, quæ in gratia Dei & merito IESV CHRISTI acceptando nimium quantum tergiuersatur, omnis infelicissimæ corruptionis in mente & voluntate sua fundamentum esse atque radicem. Quod si iam de fide consequenda cogitare incipimus, tandem nos docebit experientia, hanc ipsam omnium minime nostrarum esse virium, &, si in nobis fidem ipsi efficerre deberemus, omnino verendum fore, ne æternum in peccatis manere ac perire cogeremur. Tum videt homo, ve-

B 3

ritati

ritati consentaneum esse, quod **CHRISTVS**
dixit: *Sine me nihil potestis facere*, *Io. XV, 5.*
Hoc ipso etiam pro nihilo se dicit ducere,
Deus autem nunc demum incipit in ipso
gloriosum aliquid operari *i Cor. I, 28.* La-
borantibus & onustis accensendus ille est,
quos Seruator recreare vult & ad se vocat,
Marth. XI, 28. defessis item & infirmis, qui-
bus vires ac robur copiosum promittit, *Ies.*
XXXX, 29. Ita homo se ipso derelicto in
æterni amoris Dei abyssō, elemento quasi
suo, demergitur, & Deus in illo officinam sibi
exstruit ipsique indefinenter nouas vires
suggerit, ut virescat, floreat fructusque iu-
stitiae in laudem ipsius ferat.

Altera via.

QVANDO igitur homo in naturalium
virium suarum experimento tam salutariter
pudefactus est, non tantum ab suo ipsius
auxilio desistit & operationes Spiritus San-
cti in se libere admittere incipit; sed tum
quoque obseruat, se a gratia Dei beatius,
facilius & gloriösius ad viuas vires in vitæ
christianæ studio perduci, omni nisu iam se
conuertit ad hanc lucem & solem iustitiae
IESV CHRISTI, qui mentem ipsius illumina-
nat, sapientia collustrat, calefacit, amore
replet & in Deum ac cælestia validissime
pertrahit. Et hæc *altera* illa via est, qua ho-
mo a propriarum virium periclitatione ab-
ducitur. Tunc ad solum firmissimum illum
sermonem propheticum dicit attendere, ut in

in obscuro animo splendeat, donec plena dies illucescat & lucifer cum gaudio ac voluptate in illo oriatur. 2 Petr. I, 19. Immo in speculum euangelii introspicit in eoque splendentem gloriam IESV CHRISTI omnemque ab ipso acquisitam iustitiam & partos salutis thesauros attonitus intuetur, atque hinc in eamdem caritatis imaginem transformatur ex gloria in gloriam. 2 Cor. III, 18. Tunc vere elegantes ipsi sunt pedes euangelizantium, pronuntiantium pacem, euangelizantium bonum, significantium salutem, dicentium Sioni & animæ: *Regnat Deus tuus.* Ies. LII, 7.

Ex his omnibus apparet, quo quis re- Diserimus
ctius nihilum suum, impotentiam & profun- hominum
dam corruptionem agnoscit & gratiam Dei in negotio
submisse acceptat, eo facilius illum a mo- perse ipsos
lesto negotio operandiper se ipsum & anxia operandi.
legis coactione liberari. Neque vero dif-
sitebor, nonnullis hominibus ob corruptam
suam indolem plures difficultates hac in re
obuenire, quam aliis. In primis ab illis
tentantur, qui præ aliis ingenio & ratione
valent, & contra nimiam naturæ suæ ala-
critatem & fastum pugnare necesse habent.
Sed vero id obseruaueris, eos, qui multo
labore & duro certamine gratiam Dei ac-
quisiuere, & antea aliquamdiu operibus
moleste intenti fuerunt, postea plerumque
in gratiam euangelii penetrare multo lon-

B 4 gius.

gius. Magnum huius rei exemplum habemus in PAVLO apostolo, si ex capite septimo epistolæ ad Romanos statum illius sub lege, ex octauo autem conuersationem euangelicam & notitiam plenitudinis gratiæ IESV CHRISTI consideremus.

**Voluntas
propria
morosa
quid sit.**

**Cum ope-
ratione per
vires pro-
prias ma-
xime con-
iuncta.**

**Damnum
& contra-
rium emo-
lumentum.**

** VOLUNTAS propria morosa, vbi homo ex impulsu vitiosæ suæ naturæ viuit, & creatori suo omne obsequium denegat, in ipsis veræ conuersationis initiis frangenda est. Hoc igitur loco illa voluntas propria intelligitur, quæ in statu reperitur legali hominemque impedit, quo minus animuim suum Deo libere ac sponte dedit. Cum operatione per proprias vires maxime coniuncta est; dum enim homo ipse de emendatione animi sui laborat; sibi quoque limites & cancellos circumscribit, quomodo rem institui & agi vult. Vias comminiscitur & rationes, quas experiundas putat, vt in electitiam suam christianismi formam penetreret. E contrario ordini Dei se submittere, vias illius simpliciter persequi & subsidiis gratiæ recte & salutariter vti recusat.

TAMDIU igitur homini bene non est, quamdiu suam ipsius voluntatem prorsus frangere & enecare haud vult. Quidquid enim ad rationis & naturæ nostræ dictum concupiscimus, salutare non est, adeoque perturbationem adfert, animi tranquillitatē

tem

tem in Deo euerit, eumque a viis eius salutiferis abducit. Si vero totum animum manibus & sapienti rectioni cælestis Patris fideliter committit, a mœrore & sollicitudine liberatur: Deus tunc curam illius agit vere paternam, mirifico quidem consilio suo ipsum ducit, ad magnificum vero existum rem promouet, & tandem spiritum in magnam gloriam recipit.

Exserit autem se voluntas propria variis modis, ut omnia erumpendi genera dis se ex-vix explicari possint. Ad præcipua igitur & maxima dumtaxat respiciemus. In conuersione ad voluntatis morositatem pertinet, si quis Deo O. M. mensuram agnitionis peccatorum & diuini doloris præscribere audeat, atque adeo cura & sollicitudine adficiatur, si ab se præscriptæ regulæ a Deo non fiat satis. Evidem hoc sinceri iudicium animi est, qui salutis & conuersionis curam seriam agit, de illoque melius omnino statuendum est, quam si alii adeo molles & delicati sunt, vt de diuino dolore ex peccatis capiundo & de lucta in pœnitentia sermonem aliquem serium & in verbo Dei fundatum ne quidem audire sustineant, verentes, ne in desperationem incident, aut potius, ne vetus Adam & animus peruersus commoueatur & perturbetur. Attamen res ipsa, si fundamentum spectes, nihil aliud est manetue, quam propriæ voluntatis vitium,

quia

B 5

In gradu
tristitiae in
pœnitentia.

quia non vult in hoc acquiescere, quod Deus omnium optime sciat, quomodo cmendari possimus, & quantam peccati amaritudinem gustare nobis vtile & salutare sit. Veniunt interdum postea tempora alia, quum de peccatis nostris vehementius angimur, quam quidem expetimus & id gratum nobis est, ubi voluntas propria itidem omnium minime hac sorte sua contenta esse, immo in multam impatientiam, murmurationem & indignationem in Deum erumperre solet. Quare nobis perinde esse debet, quomodo Deus nos hac in re ducat, siue grauis sit siue leuior nostra tristitia, dummodo sincera sit & vniuersalis, ut resipiscientiam efficiat ad salutem & per veram fidem nos ad CHRISTVM compellat. 2 Cor. VII, 10.

In iustificatione.

S P E C T A T autem eo adhuc alia morosæ voluntatis species, quod videlicet homo pronus est ad habendam in pœnitentiam maiorem sanctificationis quam iustificationis rationem, vel adeo hanc super illa superstruere conetur, ut credere haud velit ante, quam a peccato se solutum & liberum videat. Hoc inde plerumque est, quia incommoda certaminis aduersus peccatum, quod statim in pœnitentia tamquam interna crux quotidie suscipi debet, sentire grauatur, & quia ad forum Dei aliquid secum adferre gestit, nec velut nudus & egens mendicus togam iustitiae

Stitiae CHRISTI ex manu Dei acceptare vult. Tametsi in aliis sinceris hominibus ex terrore conscientiae & angore animi hoc etiam solet exsistere. Considerandum itaque est, quod iam supra docuimus, fieri nequaquam posse, ut homo genuinas vires ad animi sui mutationem habeat & acquirat, priusquam gratiam Dei & CHRISTVM cum omnibus bonis & thesauris salutis fide apprehendat,

Quod si eo peruenit, ut de gratia diuina per fidem certus fiat, haec consolationes post primum certamen, in poenitentia peractum, animum illius mirifice oblectant. Gustat & videt bonitatem Domini, amore illius tamquam flumine perfunditur, immo in paterno Dei animo nihil nisi veniam peccatorum conspicatur, ut diluvio gratiae alio post aliud inundetur. At vero contingere etiam plerumque solet, ut animus huic rei adhærescat & christianismi beatitatem in vindendo, sentiendo & gustando diuinæ gratiae dulcedinem statuat, suamque fidem & bonam conscientiam super hoc perpetuo gusto superstruat. Quod si deinde fiat, ut Deus pro sua sapientia sensibus istiusmodi lætitiam subtrahat, miseræ istæ mentes prostratae iacent, de Dei queruntur derelictione, nec multum abest, ut induratas se esse, peccatum in Spiritum Sanctum commisisse & gratia Dei denuo prorsus excidisse, sibi per-

persuadeant. Atque tunc voluntatis per-
versitas in eo se prodit, quod credere no-
lunt, priusquam antea gustatam gratiæ dul-
cedinem Deo rursus extorserint. Enim
vero hac in re ex arbitrio hominis Deus
non solet agere, sed discat oportet verbo
diuino inhærere & firmiter credere, sibi
Deum esse propitium, quantumcunque mi-
seriam in se sentiat & cum hostibus suis spi-
ritualibus configgere necesse habeat. Per-
petuus spiritualis dulcedinis gustus cum re-
gno crucis CHRISTI pugnat & certamini
aduersus continuo adhærescentem labem,
immo viis fidei obest, quando Deus liberos
suos sub varia caligine rationi illorum mi-
nus conuenienter per arida deserta dicit.
Quamdiu homo tantummodo in diuinæ
gratiæ sensu hæret, Deus nihil salutare cum
ipso instituere nec sub multa patientia, pro
mirabili suo consilio, ad maius semper in-
crementum maioremque perfectionem per-
ducere potest. PAVLVS quidem aposto-
lus christianos fideles semper vult gaudere.
Phil. III, 4. Enimuero multum omnino
interest, utrum gaudeamus, quia id senti-
mus, & ex hac ipsa sola caussa gaudeamus;
an vero gaudium nostrum fide nitatur, quod
sub omni afflictione persuasum nobis est,
nos nihilo minus Deum habere propitium,
quantumuis rationi & sensibus nostris con-
trarium sit. Hanc postremam gaudii spe-
ciem

ciem intelligit Apostolus , quæ beata est , magnam dat efficacitatem , & quam consequi homo christianus numquam non contendat , oportet . Eo etiam spectant verba : *Nolite vestram proiicere confidentiam , quæ magnum habitura est præmium . Hebr . X , 35.*

Hoc si etiam quodammodo didicit ho- In abnega-
mo , tum Deus ipsum in veri christianismi tionem tem-
indolem vterius deducit ipsique aperit , poralium
quot & quanta adhuc abnegare debeat . Ex bonorum ,
terrestribus bonis illud interdum adgreditur , quoq; homini carissimum fuit , & in quo animus illius occulte & subtiliter hæ-
sit . Omnem , alioqui licitum , usum & ob-
lectamentum rerum creatarum subtrahit , omnia potius in fel amarum , in tentatio-
nem & cruciatum conuertit . Hanc diui-
nam agendi rationem statim in initio haud
intelligit homo , immo iniuriam sibi fieri
existimat , nec potest comprehendere , quid
ea in re peccarit . Voluntatis suæ morosi-
tati iterum locum relinquit , nec eam liben-
ter vult prorsus necari & perire , nec suæ
gratissimæ voluptati & rei conditæ valedi-
cere , usque dum ipse Deus conamina illius
omnia destruit , nec ei ullam requiem con-
cedit ante , quam voluntatem suam , iustum
quidem & innocentem creditam , volunta-
ti Dei in solidum subiiciat . Verum multa spirituali-
acerbior est illa abnegatio , quando dona
spiritualia , fides , caritas & spes ita tentan-
tur ,

3000 111
111 3
um dono-
rum.

tur, vt omnino perdita esse videantur. Vel optimæ grauissimæque mentes non raro dotibus ac donis magis, quam ipso Deo, delectari solent, ideoque hoc respectu sibi ipsis plus confidunt, quam quod cum Deo coniunctæ sint eique pure adhærent. Vnde Deus eiusmodi homines famelicos reddit & vacuos, vt ipsum sitiant vti terra siticulosa. *Psalm. CXXXXIII, 6.* Virium suarum defectum tantopere ipsos sentire iubet, vt etiam maiorem impotentiam ad facendum bonum maioremque peccati vim intra se percipere necesse habeant, quam vix in prima pœnitentiæ lucta experti sunt. Quo in statu licet multum orent, quemadmodum **PAVLUS** apostolus, (quem eadem de caussa hanc temptationem sublimiore quodam gradu perferre oportuit) tria grauiora certamina in precibus sustinuit; Deus tamen illos pacem & tranquillitatem animi reperi re non sinit, priusquam in imbecillitatibus & perpeſſionibus gloriari discant, in vnica Dei gratia acquiescant, illam sibi omnia esse statuant & in extremis debilitatibus suis insuperabilem Dei potentiam prædicant. *2 Cor. XII, 9.*

**In cruce
& adſli-
dione.**

DEN I QUE peruersa hominis voluntas in cruce & adſlictione se prodit, tum qui demaxime, quum paullo grauior est, vt vetus homo ea ipsa asperius atrectetur & ad impatientiam atque murmurationem com-

commoueatur. Deus autem tunc nequam parcere, sed crucem eum ipsum in finem salutariter adhibere solet, ut animus ad patientiam & resignationem sui perducatur, *Rom. V, 3.* Quomodo Deus præcipue sub cruce & temptationibus grauioribus subtilissimam voluntatis morositatem frangat, ex *Pauli* exemplo, quod paulo ante adduximus, & ex descriptione *Iobi* vi demus.

Ex his patet, omne omnino tedium in Deutitio animo christiani ab suo ipsius arbitrio ori- arbitrii ri adeoque eum vere beatum esse, qui sim- proprii pliciter & quasi oculis obvolutis Seruato- rem & Pastorem suum sequitur, non se ipse ducit, sed ab illo se duci ac regi patitur. Nemo enim, vel ipse homo animæ salutem ita curat, vti quidem Pater cœlestis. Et propterea eiusmodi animum fuscipere debemus, *Vt*, monente **IOANNE ARNDIO**, in sola Dei voluntate acquiescamus, & perinde nobis sit, qualescumque nos esse velit, paupe- resne an diuites, latosne an tristes, Spiritu plenos an solatio vacuos. Eo autem perue- nimus, quum omnes res creatæ nihil, & **DEVS AC CHRISTVS** omnia nobis fiunt, quemadmodum contestatur **ASSAPH**: *Quis mibi*, inquiens, *effet in celis prætor te?* & *præter te nullo delector in terra.* Deficiat li- cet corpus, corque meum, rupes animi mei & portio mea Deus est in perpetuum. *Psalm. LXXIII, 25. 26.*

V. 4°

v. 4.

Wirf nur getrost den Kummer hin,
 Der nur dein Hertz vergeblich schwächt und
 plaget.
 Erwecke nur zum Glauben deinen Sinn,
 Wenn Furcht und Web dein schwaches Herze
 naget;
 Sprich: Vater, schau mein Elend gnädig an,
 So iſt gethan.

Metaphrasis prosaica.

Reiice tantummodo sollicitudinem fidenter, quæ animum tuum frustra debilitat & cruciat. * Mentem tuam ad fidem excita, quando timor & anxietas infirmum animum tuum rodit. Dic: Pater, intuere clementer miseriam meam. Sic res confecta est. **

Interpretatio metrica.

Reiice fidenter curas, quæ pungere frustra
 Mentem illamque nimis debilitare solent.
 Dura tuum peccatum si sollicitudo fatigat,
 Tunc modo id ad viuam flectere disce fidem.
 Dic, Pater, ad miserum me, quæso, respice
 vermem:
 Tunc res confecta est, tum bene cuncta fluent.

Animi
 tranquilli-
 tas admi-
 niculum in
 studio vitæ
 christiane.

* HISCE versiculis secundum contine-
 tur adminiculum, quo quis vti debet, si ex
 lege in euangelium transire optat, & ad
 viuas beatasque vires in vitæ christianæ stu-

dio adspirat. Situm autem hoc adminiculum est in *vera animi tranquillitate*, qua cum in proxime sequenti hymni nostri versiculo coniungitur durans perseverantia, de qua Deus ipse *Ies. XXX, 15.* ait: *In tranquillitate & fiducia erit potentia vestra.* Quemadmodum enim in quieta & limpida aqua hominis cuiusdam forma conspici potest; ita Spiritus Sanctus tantummodo in tranquillo animo operatur, qui ab suis operibus vacat, in eoque omne consilium, fortitudinem ac voluntatem Dei perficit. Hanc beatam animi tranquillitatem si consequi velimus, primum mentem nostram ab omnibus auertere debemus, quæ in spiritu inquietudinem & commotionem efficere possunt, deinde vero totum animi vultum dirigere ac conuertere ad ea, quæ cor nostrum in tranquillitatem intromittere possunt & pacare. Prius illud fit, quando *Conscientia*
adfecta conscientia omnem mœrorem, quo
sese excruciat, fiderter reiicit. *Omnis*
animi mœror ex peccato oritur, & qui-
dem si sub lege sequenti modo obseruatur
& sentitur. Quoniam ex lege vita vel vis
peti exspectarique nequit; aliter fieri non
poteſt, quam ut mens sub lege ab innume-
ris malis cogitationibus & cupiditatibus
etiam inuitissima impetatur & crucietur,
quas per ingentem impotentiam suam nec
reſtinguere potest nec ſatis ſuperare. *Rom.*

1. In rei-
atione
omnis
mœroris
sub lege

VII, 8. cetera. Ex hoc intuitu horror & anxietas exsistit, animus corruptionem suam sibi ob oculos versari putat, & tan-topere deprimitur, ac si peccato ac hosti-bus suis nunc demum victoriam concedere debeat. Accedit vero lex cum suis com-minationibus, iræ diuinæ tela menti altius immittit nihilque nisi execrationem & con-demnationem in peccatorem pronuntiat. At vero tantum abest, vt hinc miseri homi-nis animum emundet, vt peccatum potius fiat peccantissimum per eiusmodi præcep-tum, & ipse experiatur, se peccato inui-te mancipatum, carnalem & peccati seruum esse oportere. *Rom.* VII, 13. 14. Lex por-ro iram efficit *Rom.* IV, 15. & praua indoles contra nititur, rebellat, indignatur, quod lex aliquid postulet & tantam sanctitatem vehementissime requirat, quam homo in potestate sua se non habere, nimiæ impo-tentiæ suæ conscius, manifeste videt. Interim retrorsum ire non placet, quia sub sensu peccati & iudicii diuini orcum formi-dare didicit. Hinc animo angitur, vultum deuicit, viuere ipsum piget, acerbus & mo-lestus in omnes homines est, tardus & pi-ger ad sua negotia; quia anxiis curis de miseria sua & salutis periculo mentem per-turbat.

**Quomodo
ab eo li-
beremur.**

Quod si in caussam omnis huius mo-
roris & inquietudinis animi inquiramus; in
eo

eo illam offendimus, quod homo in miseria suæ contemplationem se demisit & in disceptationem cum peccato ingressus est. Dummodo enim diabolus ab anxiis mentibus hoc impetrat; vniuersas illarum facultates terroribus suis & infernalibus cruciatis facile replere potest. Hæc sunt proprie tela mali ignea, quæ non nisi per fidem extingui possunt. *Eph. VI, 16.* *Tela* sunt, quia animum lædunt & propter pertinaciam suam nostramque sollicitudinem alte penetrant & firmiter inhærent, vt non facile extrahi queant. *Ignea* autem sunt, quia serpunt ac prodeunt, omnes animi facultates occupant, & paucas vires, quas homo ex aliqua sui excitatione difficulter collegit, illico exsiccant & consumunt. Quia cum re multa anxietas multique doloris sensus coniuncti sunt. Atque inde intelligi poterit, quare dicta sollicitudo animum anxiū tantummodo frustra debilitet & adfligat.

A. b. hac igitur sollicitudine se auertere & eo conniti debet homo, vt a tali inquietudine liberetur, vt mitem & quietum animum nanciscatur, quæ res magni est in Dei conspectu pretii. Nimirum simulac malæ cogitationes & motus peccati incidunt, illico sunt dimittendi; multum illis contradicere, aut argumenta rationis opponere, deformitatem illorum & noxam considerare consul-

Origo hu-
ius inquietu-
tudinis.

C 2

tum

tum non est, cet. Cum silentio potius ab illis animus abducendus & sine multo sensuum & cogitationum strepitu spirituale aliquod vel corporeum negotium suscipiendum est, tum vis & potentia illius serpens ipsa se destruet. Non igitur recordando & indulgendo, sed obliuiscendo impetus peccatorum infirmantur. Illud certe praevendum est diligentissime, ne per defectum nostrorum observationem in terrorem, metum & anxiam sollicitudinem nos coniici patiamur: alioqui diffidentia magnas vires sumit ad spiritum penitus perturbandum eiusque vires reliquias vniteras prosternendas. Quid viatorem iuuaret, si pede prolapsus ploraret & lamentaretur, vel adeo in coenum altius implicaretur, si e vestigio surgere viamque suam de nouo alacriter persequi nollet. Pari modo æquum non est, ob lapsus nostros & infirmitates nos excruciando & macerando vires perdere, sed animum quantocuyus reparare, strenuos nos exhibere & sine villa mora ad CHRISTVM accedere proprius. Heic autem cogitaerit aliquis: *Hoc modo vitium incuriae & supinae negligentiae in negotio salutis facile posse contrahi:* qua tentatione non parum retardari solent illi, qui ex legali operatione & anxietate, in qua ex opinione ipsorum verus ardor rectumque vitae christianæ studium consistit, in salutare fidei certamen & di-

An hoc
modo in-
euria &
negli-
gen-
tia contra-
batur.

& diuinam pacem in CHRISTO transire
debent.

VERVM ENIM VERO hac in re discri-
men recte obseruari oportet, quod est in-
ter salutis incuriam, statum legalem & eu-
angelicum. Sub statu legali homo remis-
sionem peccatorum non vult credere, nisi
prius, sua quidem sententia, factus sit satis
sanctus, & istam sanctificationem angore &
sollicitudine variisque duris exercitiis ipse
efficere conatur. Christianus autem eu-
angelicus tum peccata sua tum opera bona
ad IESV Domini pedes abiicit, neque vel
istis vel illis a iustitia eius, per fidem simpli-
citer & firmiter apprehendenda, se retrahi
patitur. Lætatur de hoc pretioso ornatu
& persuasissimum habet, in eo se satis per-
fectum & sanctum esse, vt in conspectum
Patris prodeat ipsique in CHRISTO sit
longe acceptissimus. Hoc ipso in recon-
ditos thesauros & *κειμήλια* euangeli pro-
pius semper intromittitur, vt saepius magna
diluuiies gratiae ex plenitudine Seruatoris sui
ipsum inundet. Atque hoc efficit, vt & ve-
lit & possit sancte viuere & vere bona ope-
ra edere. Genuini fructus iustitiae sunt,
quos ipse CHRISTVS tamquam vitis per
palmites suos progignit & coram Patre
inculpatos, irreprehensibiles ac perfectos
reddit.

**De securi-
tate.**

**Vera con-
ditio ho-
minis se-
curi.**

Ex his constabit liquido, quantum ab utrisque discrepet homo, qui salutis suæ incuriosus viuit. Scilicet 1. Lex ipsi quasi in obliuionem prorsus venit. Si quid commiserit vel omiserit, non curat, utrum peccatum sit, an non sit; multo minus de ea re ita angitur, ut conscientia eius & ira Dei ipsum propterea perturbet. Nec facile in mentem ipsi venit tentatio, an status suus forte sit status securitatis, aut rursus consolationem sibi facile nouit fingere. 2. Ex merito quidem CHRISTI solatium captat, neque autem veram pœnitentiam expertus est antea; de fide quidem gloriatur, neque vero per verum fidei certamen a Deo illam nactus est, sed per meram imaginationem & somnia, cum sua ipsius deceptione, eam sibi persuasit. 3. Per fidem suam fictitiam non ab infirmitatibus, sed a peccatis dominantibus oculos auertit & cum illis gratiam Dei confistere salutemque obtineri posse autumat. Ut breuiter dicam, homo securus nec legem sentit nec euangelium, sed tantum ex pruarum cupiditatum suarum impulsu viuit. Non pugnat vel per legem vel per euangelium, neque adeo per iræ diuinæ considerationem a peccatis se abstinere aut per gratiæ diuinæ in CHRISTO IESU cognitionem ad boni rectique studium se commouere nititur. Atque hinc de angore pœnitentis hominis ne quidquam intelligi-

telligit, nec beatitatem illius, qui veniam peccatorum expertus est, animo suo vere repræsentare potest, sed temporariam voluptatem & peccatorum oblectamenta in suis ponit deliciis. Exinde hoc sequitur, non solum oculos mentis a peccato & infirmitatibus auerti, sed ad **CHRISTVM** quoque, æneum illum anguiculum, conuersti oportet, vt hinc vires peccatum detestandi Deoque casta mente seruendi huius riantur. Et hoc in sequentibus docetur.

** PERTINET videlicet etiam ad animi ^{2. In tranquillitate} tranquillitatem, vt mentem ad id conuertamus, quod spiritum sedare & pacare potest. Hoc nihil aliud, quam ipse **CHRISTVS** est cum omnibus suis reconditis meritis & bonis salutis; quæ sunt infinita illius satisfactionis, perfecta iustitia, ineffabilis ab ipso acquisita cælestis Patris caritas; magna item vis & omnipotentia, qua inquietos motus & angores conscientiæ æque facile uno verbo tranquillare potest, ac tempestatem & fluctus periculose turbati maris olim sedavit. *Matth. VIII, 26.* Hoc bene intellexit & in usum suum conuertere nouit *David*, quando *Psalm. LXII, 1.* ait: *Tantum in Deo meus animus acquiescit, a quo mea salus pendet.* Hoc ipso Spiritui Sancto datur locus fidem in animo efficiendi, caritatem accendendi & spem inferendi, vt homo contra incursionem & impetum peccati iræque di-

vinæ necopinans corroboretur. Conuersio autem ad hanc beatam lucem fit partim per quietam diuinorum veritatum, maxime euangelicarum promissionum, meditationem; partim per filiale & fiduciæ plenam precationem.

**per medi-
tationem
verbi di-
vini,**

D e priore illa Petrus 2 Ep. I, 19. scribit in hanc sententiam: *Habemus firmorem sermonem propheticum, in quem recte facitis, quod estis intenti, tamquam lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat & lucifer exoriatur in animis vestris.* Quem vero in finem non solum certum diei tempus meditationi euangeli destinandum est, sed magnum in primis est subsidium, si omnibus matutinis certam promissionem animo comprehendamus, & per integrum diem teneamus, omni tempore retractemus, crebra illius recordatione mentem ad CHRISTVM sursum tollamus & quasi spiritum ex vulneribus illius hauirre discamus. Hoc est, recte intentum esse in sermonem Dei, hoc itidem est, lucere in corde humano, quod de diuina luce dicitur, vnde clara dies illuminationis & clarificationis CHRISTI, tamquam luciferi, in animo exoritur. Heic experientia docebit, quod ita se gerenti CHRISTVS Immanuel propinquus adsit, per præclarum euangelium se illi non relinquat non testatum, nec tacet, donec prodeat, *ut splendor iustitia eius* & sa-

O salus eius tamquam fax ardeat. Ies. LXII,
 1. Hoc igitur est, ad fidem se excitare,
 non vt ipfi eam efficere velimus, sed con-
 cedere, vt a Deo in corde efficiatur.

Si precatio in vera mentis tranquillita. per preca-
 te fieri debet, non tam spectanda est vt of-
 ficium, quam via ad Patrem, qua animum
 illius commouere & ad misericordiam pa-
 ternumque auxilium flectere studeamus.
 Hoc hominem eo adducit, vt Deo fami-
 liaris fiat, animum coram ipso effundere
 discat, apud eumdem omnes necessitates
 suas queratur, & ad pedes eius abiiciat,
 quicquid premit, vrget & molestum est.
 Vnde nobis perinde esse haud debet, quod-
 cumque Deo oremus, dummodo sit orare;
 sed veram necessitatem & animi sollicitudi-
 nem aperiri & cælesti Patri tamdiu propo-
 ni oportet, donec precibus adnuat. Vbi
 etiam in precibus perdurantes *iis* simul
inuigilare debemus cum gratiarum actione Col.
 IV, 2. vt, simulac Deus auxilium præsti-
 tit, laudetur & pleno animo prædicetur.
 Qua via qui graditur, huic ea conceditur
 gratia, vt magis magisque salutem Dei
 perspiciat eaque perfruatur. *Psalm. L, 23.*
 In hac schola etiam discetur, non semper
 necesse esse ore & verbis precari, sed ge-
 mitibus quoque Deum inuocari animum-
 que illius commoueri posse. Nam *vota*
etiam inopum exaudit Iehouah; confirmat ani-

C 5 mum

mum eorum, aduertit aurem suam. Ps. X, 17.
 Et hoc ipsum est, semper orare, si cum desiderio spiritus in conspectu Dei perpetuo subsistimus, illudque indefinenter ad ipsum adscendere iubemus; quæ res animum a multis noxis tuetur, cum Deo copulat & in vitam atque efficacitatem magis magisque transfert.

**Studium
christianis-
mi &
mentis
tranquilli-
tas inter se
connexa.**

Ex his omnibus patebit, animi tranquillitatem, quam huc usque descripsimus, ad acediam, socordiam & negligentiam in christianismi studio nequaquam posse deducere; si quidem verus usus subsidiorum gratiae & studium penetrandi per veram fidem in CHRISTVM cum ea coniunctum est. Immo ipsa mentis auerio a vitiis nostris & miseria non leue requirit certamen, quando diuinæ iræ tela in corde defixa haerent; tametsi hominis securi & depravati animo naturale & insitum est, conscientiam suam sopire, & vix momento horrere orcum. Hæc igitur mentis tranquillitas inter pigrum christiani socordiam & hominis, sub legge constituti, operationem per vires proprias media & utriusque diuerticuli deuotio est.

v. 5.

*Besitz dein Hertze in Geduld,
Wenn du nicht gleich des Vaters Hilfe mer-
cke st.*

Ver.

*Verſiehſt du's oft, und fehlſt aus eigner
Schuld,
So ſieh, daß du dich durch die Gnade ſtärkeſt:
So iſt dein Fehl und kindliches Verſehn,
Als nicht geſchehn.*

Metaphrasis proſaica.

Poffide mentem tuam in patientia, quando non statim auxilium Patris sentis. * Si ſæpe delinquis & erras tua ipsius culpa, ope-ram da, vt per gratiam te confirimes. Ita delicta & errata tua pro non admissis ha-tentur. **

Interpretatio metrica.

*Si Pater auxilium differt, patienter & equo
Demijjōque animo hanc ferre memento mo-
ram.*

*Quando tua culpa multum delinquis & erras,
Ut te confirmet gratia dia, roga.
Tunc errata tuus delicta que cuncta remittere
Delebitque sua pro bonitate Pater.*

* TERTIVM heic adminiculum ostendi- Patiens
tur, quo ad euangelicam vitæ rationem dnratio-
coram Deo peruenire possumus, nimirum
perduranti patientia. Patientia autem vtend-
endum est partim Dei, partim nostri ipsorum
& defectuum erratorumque nostrorum re-
spectu. Respectu Dei patientiam ostende-
re debemus in paterni auxillii ipsius dilatio-
ne, atque hoc præcipuum quoddam spe-
cimen

Causæ patientiæ.

cimen est in certamine de obtinenda fide & viua vi in studio christianismi, vt, si Deus nos auxilii orbos derelinquere videtur, certissimam liberationem & adiumentum ab ipso patienter exspectemus. In hoc enim certamine priusquam animus in gratia Dei radicem altam habet, & satis firmitatis acquirit, variæ dantur vicissitudines, vt hoc tempore suauem Immanuelis præsentiam multa cum consolatione & efficacitate sentiamus, vt tum vires peccati infringantur & succumbant. Alio autem tempore rursus se abscondit & sensibilem gratiam suam dilabi sinit, vt animus in multo durius certamen coniiciatur, & tum lex tum peccatum impetus suos per angores & irritamenta repeatat. Heic igitur nihil vtilius est, quam Dominum exspectare, vt nouæ vires colligantur. Et homini quidem non minus necesse est, hac in re tolerantia sibi consulere, quam Deus pro sua sapientia auxilií dilationem necessariam esse videt. Impatientia ad sui liberationem nihil confert homo, sed potius certamen & calamitatem suam duplo grauiorem reddit. Animum hac ipsa suum in inquietudinem coniicit, vires iam acquisitas consumit & ex beatæ tranquillitatis munimento effugit. Quid? quod operationes Dei impedit, & in suam ipsius operationem relabitur, efficitque, vt post inflictam sibi ipsi plagam & perturba-

tio-

tionem de nouo semper cursum suum in-
 choare necesse habeat. Contra Deus opem
 certissime ferre vult, dummodo benignita-
 tem ipsius exspectet homo; precum enim
 exauditionem sancte promisit Matth. VII,
 7. Caussam vero habet sat grauem, vt au-
 xilium non eadem hora, qua illud efflagi-
 tamus, ostendat. Patientia ipsa necessaria
 virtus est, si per gloriosas vias suas, pro mi-
 rifico suo confilio, nos ducere debeat. Has
 autem in rebus prosperis & sole sensibiliis
 gratiae diuinæ constanter lucente discit
 nemo, sed calamitas, & maxime quidem
 interna crux & tentationes patientiam pa-
 riunt. Rom. V, 3. 2 Cor. XII, 7. cet. Hac
 ratione voluntas hominis morosa debilita-
 tur & animus in voluntate cœlestis Patris,
 non solum quod ad terrestria sed etiam spi-
 ritualia bona attinet, se fert indifferenter,
 vt prouidentia & gubernatio Dei, siue do-
 lorem siue lætitiam adferat, ipsi omnium
 gratissima sit. Itaque & hoc in certamine
 fidei discendum, vt horas tentationum ne
 admiremur perturbati; quia minus insolitum
 quid est, quod cum liberis suis ita agat
 Deus. Si animum hac in re possidemus per
 tolerantiam Deoque firmiter adhæremus,
 alios adiutores haud quærentes; tentatio
 facilis erit & tolerabilis, & sol gratiae in
 animo rursus exorietur ac finem imponet
afflictioni. Altera caussa, quam Deus in & fidem.
 hoc

Mora diui-
 ni auxillii
 operatur
 patien-
 tiām

hoc negotio habet, est, quod animum per fidem corroborare vult. Sine fide constans vis, consolatio & bonorum gratiæ in CHRISTO fruitio speranda non est. Ea propter Deus per occultationem sui & auxilii dilationem animum ad tales firmam fidem perducere gestit; ut ipsum discat expectare, si etiam sine sensu amoris diuini vivere necesse habeat, & omnis ipsius gratia & auxilium perditum esse videatur. Atque ita duplum postea ei tribuitur, quo per breve tempus in probatione caruit. Immo sicut animus sine constanti fide oblatis salutis thesauris & ipsis intercurrentibus gratiæ adspectibus recte frui & uti nescit; perinde atque ægrotus infans ex plenis matris vberibus & delicioribus cibis recreationem nullam nullumque robur capere potest: Ita e contrario, qui fide exercitatus est, etiam ex tristitia lætitiam & ex tentatione consolationem potest haurire. Persuasum enim habet, nihil sibi exinde ademtum, sed tanto maiorem gloriam consecuturam esse. Io. XI, 40. Quisquis igitur auxilium Dei ita patienter exspectat, is experietur, vera esse, quæ Ies. XXXX, 31. scripta exstant: *Qui in Iehouah spem habent, viribus adolescent, crescentibus quasi aquilinis pennis, neque currentes delassantur, nec defatigantur ambulantes.*

** ERGA

** ERGA se ipsum patientia vti in cer- Patien-
 tis circumstantiis non solum necessarium, tiam erga
nos iplos,
 sed etiam non ita facile est, vti initio quis-
 piām existimauerit. Duas vias init Satanas,
 vt homini damnum adferat. Si quis in se-
 curitate & incuria viuit, tum per falsam
 consolationem in eadem ipsum confirmare
 ntitur, peccata proæretica & regnantia ipsi
 Ieuia & parua esse persuadet, vt pro infirmi-
 tibus habeat; gratiam autem Dei simul
 tantopere extollit, quasi in impoenitentia
 sua & malitia particeps illius fieri possit.
 Hoc hosti infernali eo prodest, vt eiusmodi
 homo veræ conuersionis & mutationis men-
 tis rationem nullam habeat, immo saluta-
 rem & sapientem hunc Dei ordinem adeo
 deceptionis & hæreseos nomine, cum in-
 genti animarum exitio, audacter infamet.
 Contra ea si alius cuiusdam conscientia eui-
 gilat, vt labem ac miseriam suam agnoscat,
 & de iustitia Dei punitiua conuincatur;
 tunc fallacem methodum suam inuertit & anxiis
conscienti-
is diffici-
lem reddit
Satanas,
 tali homini peccata tantopere exaggerat,
 quasi infinitum meritum CHRIS TI superent,
 vt in primo penitentiæ initio eum statim
 deterreat, aut certe a fide retineat & in le-
 galem statum ac propriarum virium exer-
 citium implicet. Et has quidem adgressio-
 nes diaboli mens adficta & a lege quassata
 nimium quantum experitur. Omnes in-
 firmitates ipsi ob oculos proponuntur tam-
quam

quam peccata mortifera: & si lapsus ac præcipitatæ actiones toties repetantur ac multiplicentur; non multum abest, vt existimet, omnem gratiam Dei se perdidisse, nec fieri posse, vt ad veram & constantem vim in christianismo pertingat. Tum vero diabolus obtinere studet, quod quærit, nimirum, vt homo ab omni proposito continuandi certamen deterreatur & potestati ipsius desperanter se totum tradat. Hic locus, hoc tempus est in se ipsum & vitia sua vtendi patientia & cauendi, ne paruam, quæ superest, fiduciam & animum prorsus abiiciat.

**In quo
consistat.**

I STA vero patientia non consistit in eo, vt delicta & peccata nostra parui æstimessemus, nec in eo, vt illis non resistamus, aut negligentius viuere incipiamus; sed nos tantum contra alterum diuerticulum præmunire debet, ne de vi & gratia Dei desperemus. Quocirca sequentia monita obseruari valde necesse est. 1. Ut a defectibus nostris, quod molesti & crucis loco habendi sunt, non morose velimus liberari, vsque dum Deus optimus maximus beatam illam horam, qua nos in libertatem Filii sui vindicare ipse decreuit, venire iubeat. 2. Ut ne ex impatientia in certamine defatigemur, nec ad libertatem, nostra ipsorum opera obtainendam, adspiremus. Alio enim modo, quam per CHRISTVM & vi-
mam

vam fidem, a mala conscientia immunem fieri velle, res periculosissima est & in securitatis atque incuriae vitium reducit. 3. Ut ne infirmitatum nostrarum caussa nos ipsi frustra excruciemus, ac si in illis ad fidem nos excitare, & de diuina gratia bene sperare, haud liceat. Et quidem in hoc postremo præcipuum momentum versatur, quo ex impatientia & anxia sollicitudine ad veram patientiam erga nos ipsos emergere possumus. Quisquis enim in omnibus rebus difficilioribus animum suum in gratiam Dei demittere potest, is in hoc ipso pacem & dulcem voluptatem inuenit.

Quomodo
ab impa-
tientia li-
beremur.

DANTVR autem duæ validæ obiectio- Impedi-
nes, quas conscientia homini cum terrore menta &
opponit, qui ex anxietate & sollicitudine obiectio-
nes. de peccatis suis in liberam gratiam transire auet. Primum videtur sibi *iusto sepius delinquare* vitiisque suis ac lapsibus nec numerum nec terminum statui posse, arbitratur. Si, quando dies non sine multis infirmitatibus transactus est, de nouo sibi proponit, die sequenti rem emendare & cautius mercari; non raro experiri cogitur, hunc alterum diem multo infelicius transactum esse, & se crebrius ac grauius, quam quidem antea, deliquisse. Et haec res omnem ei patientiam vult adimere & animum infirmitates suas in se tolerandi, contra illas iusto ordine decertandi Deique auxilium &

D libe.

liberationem exspectandi. Altera obiectio fit ab infidelitate hominis, quod *sua ipsius culpa* in miserum illum statum delapsus sit, & continuo adhuc peccet. Inde igitur pabulum incredulitati suæ & diffidentiæ in Deum captat, animum suum debilitat & conscientiam maiori semper inquietudinē onerat.

*Remediū contra
crebras
aberratio-
nes.*

CONTRA hæc duo fidei impedimenta haud ullum tutius remedium habetur, quam ut eiusmodi mentes, quæ serio studio tenentur iustitiam ac fortitudinem in CHRISTO, seruatore suo, obtinendi, in immensam Dei gratiam penitus se demergant. Sicut enim, sacra scriptura testante, verissimum est, homini resipiscienti in aditu ad hanc gratiam nulos limites circumscribi, sed omnia sineulla ampliore conditione esse; Ies. LXI, 1. 2. 3. Matth. XI, 28. Rom. V, 20. ita quoque sineulla obiectione, exceptione & conditione, quam ei mens incredula suggerit, oblatam gratiam acceptare debet & hoc firmissime sibi persuadere, non esse in se ullum tam magnum tamque graue delictum, quod ipsum ab hoc amoris intuitu abducat. Quum a Petro exigat Saluator, ut peccanti in se fratri septuaginta septies per diem ignoscat; certissimum est, Deum patrem innumera infirmitatis peccata liberis suis condonare. Matth. XVIII, 21. 22. Quemadmodum hanc comparationem ipse insti-

instituit Ies. LV. Postquam enim com. 7. dictum erat: *Dens noster plurimum condonat;* sequentibus verbis hoc ipse demonstrat: *Non enim eadem mœ, quæ vestræ, sunt cogitationes, nec eadem vestræ, quæ mœ, sunt rationes.* Nam quantum cælum terras supereminet, tantum mœ rationes cogitationesque supereminent vestras. com. 8. 9. Quo in sermone certe solidum fundamentum magnæ ac multæ condonationis diuinæ iacet.

Qvod ad fidelitatem attinet, ea a libe- Contra in-
ris Dei necessario requiritur, & via est, qua fidelita-
animus plus plusque boni acquirere potest; tem.
sicut vicissim per infidelitatem optima etiam
bona profundi possunt & perdi. Sed ve- Vera fide-
ro primum fidelitas in christianismo recte litas quid
intelligenda est; in diuersis enim partibus sit.
probatam ac spectatam se ostendit. Datur
fidelitas in agnitione peccatorum, qua du-
eti cupiditatem aliquam haud nequiter ex-
cusare & retinere volumus; deinde fidelitas
in ipso fidei negotio, ut CHRISTVM
constanter & firmiter teneamus; fidelitas
etiam in sanctificatione & denique fidelitas
in calamitatibus & serio certamine. Men-
tes igitur, quæ ad Deum venire eique sin-
cere seruire cupiunt, sub lege autem vires
in hunc finem nancisci nequeunt, ad fide-
litatem in sanctificatione iam præcipue ad-
spirare non debent, antequam fidei victo-

riam certando obtinuerunt. Quamobrem in fide summam fidelitatem suam nunc quidem demonstrare necesse habent. Quæres in certo quodam cantico scite exprimitur in hunc modum:

*Ie treuer ich dich in dem Glauben halte,
Ie klärer wird dein Licht verklärt.
Und wenn ich denn die frohen Hände falte,
Die Seel der Liebe Kraft erfährt.
Dann hüpfet sie in Liebestrieb,
Und hat dich, Herr, inbrünstig lieb,
Und gäbe dir wol tausend Welten,
Die treue Liebe zu vergelten.*

Hoc est:

*Quo maiore fide mea mens te, CHRISTE, pre-
hendit,
Lucis eo maior flamma fit ipsa tue.
Et si tunc letas ad cælum complico palmas,
Mens validas vires sentit amoris ouans.
Ardenier redamat te, IESV, sponteque mille
Mundos pro fido ferret amore tuo.*

Characte-
res fidel-
tatis.

A b hac fidei fidelitate postea maxime pendet fidelitas in sanctificatione & calamitatibus. Deinde non raro ysu venit, vt illi, qui omnium minime fidos se esse putant, sæpius in oculis Dei fidiores reperiantur, quam qui fidelitatis de se habent opinionem. Qui in agnitione peccatorum alte sodiunt, illi teneram nanciscuntur conscientiam, nec ea peccata tranquillo animo faci-

facile concoquere possunt, quæ alii homines infirmitates & minutioris curæ esse arbitrantur. Vnde sterlus peccatorum, maximorum minimorum, ob oculos ipsis proponitur & se ipsis culpæ coarguere, & in minimis etiam incusare, immo pro infidelissimis hominibus in vniuerso terrarum orbe reputare necesse habent. Hæc autem animi conditio bona est & via ad euangelium; modo cauendum, ne ordo Dei perturbetur, ut quis in amando & tolerando fidelitatem præstare velit ante, quam in certamine fidei CHRISTVM vera cum fidelitate complecti didicit.

DENIQUE & hoc bene notandum est, Solatium quod, quemadmodum se res habet cum aliis **hac in re**, liberorum Dei vitiis & infirmitatibus, vt adhuc innumerabiles semper intercurrant; ita quoque certo modo se habeat fidelitas, quod interdum socordia & negligentia se se immisceat, vt animus **CHRISTO** Domino eiusque gratia influxui non omni tempore pateat, nec vires, quas largitus est, satis diligenter ad incrementum in sanctificazione, ad opera bona & fructus iustitiae collectentur. Quid? quod vires debilitentur & relapsus in nouam spiritus infirmitatem contingat. Ab hoc sibi omnitudo cauendum est. Si vero factum fuerit, consultum non est, prostratum iacere & querendo ac plorando infidelitatem se adhuc magis infirmare;

D 3

sed

sed hoc delictum, vt alia, sanguine Agni deleri & expiari, & tum cursum ad obtinendum certaminis præmium tanto studiosius continuari oportet.

**Desertio a
gratia.**

VOLUNTARIÆ & malitiosæ defectiones a Deo, vbi homo post actam pœnitentiam ad vanitatem mundanam & peccatorum oblectamenta reuertitur, sunt quidem periculosisssimæ: verum si quis hoc modo a Deo deflexit, serium autem propositum suscipit denuo se ad ipsum conuertendi, de lapsu suo vehementer cruciatur & a vi incredulitatis circumagitur; Deus quidem cauñas multas habet, quamobrem ipsum sentire iubeat, quantos animi dolores eiusmodi lapsus & defectiones adferant: Neque tamen propterea de gratia prorsus desperare sed potius meminisse debet, Seruatorem dona accepisse etiam pro rebellibus. Quem in finem Davidis aliorumque exempla, in sacris litteris consignata leguntur. Sic viua fides in CHRISTVM & plena traditio nostri in infinitam Dei gratiam omnia, quæ etiam delinquimus, corrigit.

v. 6.

*Lass nur dein Hertz im Glauben ruhn,
Wenn dich wird Nacht und Finsterniss bedecken:
Dein Vater wird nichts schlimmes mit dir
thun;
Vor keinem Sturm und Wind darfst du erschrecken.*

Ja,

*Ja, siebst du endlich ferner keine Spur,
So glaube nur.*

Metaphrasis prosaica.

Animus tuus modo quiescat in fide, quando nox & caligo te operit: * Pater tuus nihil mali in te designabit, nec est, quod tempestatem & procellam horreas. ** Quid? si nulla amplius vestigia cernis, crede modo. ***

Interpretatio metrica.

*Si te nox operit caligoque densa, recumbat
Per fidem in arbitrio mens tua pressa Dei.
Nil designabit dani*v*i Pater optimus in te:
Submerget nauem nulla procella tuam.
Si nulla auxili*v* cernis vestigia, IESVS
Quod dicit, menti subiice: Crede modo!*

* IN his verbis quartum adminiculum Certamen euangelicam vitam agendi & perpetuandi & exerci-
subministratur, quod in eo consistit, vt ^{tium} fidei,
certamen fidei in difficultoribus rebus & ten-
tationibus recte intelligere & certare disca-
mus.

Nox & caligo, de qua hic sermo fit, Nox cali-
est, quando Deus lucem suam subtrahit & ginosa &
splendorem gratiæ menti aufert, vt blanda ^{tentatio} amorisque plena species Patris ex oculis ^{animæ;} animoque euanescat, & Immanuel porro ^{speciatim} nec inueniri nec retineri vult. Tunc men- ^{occultatio} Dei.
tem plena horroris caligo prehendit, &
vultui spiritus quasi nubes & nebulæ obii-

D 4 ciun-

ciuntur, ut verbum Dei inhærere ullumque solatium & oblectamentum dare recusat. Deus potius animo fit terribilis, &, quod ad sensum, prorsus crudelis videtur factus. Vis peccati & iræ diuinæ moles quietem conscientiæ subigunt illiusque euertunt dulcem & beatam æquitatem. Et quamuis opera nauetur, ut more ante usitato onus omne in humeros CHRISTI per fidem coniiciatur; in illis tamen non hæret, sed interiecit paucis horis vel etiam momentis calamitas maiori cum impetu ac violencia in animum relabitur & spiritum, animam ac mentem conuelliit. Tum minima quæque infirmitatis peccata, quæ in pristina alacritate sua aut prorsus non animadvertisit, aut certe de illis facile se tranquillare potuit homo, spinæ ac tela sunt, quæ spiritum plane exhaustiūt animumque iugiter excruciant & pungunt. Si præterea tentationes istæ paullo longius durant: mentem exsiccant euacuantque, ut nullam fidem, caritatem nullam nihilque proponendum boni ac recti in se sentiat, sed importunitatim & profundam corruptionem suam, ob oculos sibi oberrantem, perspicue videat. Tum beata lætitia & conscientiæ tranquillitas, quam habuit antea, perit, aut adeo in mœrem, cor mirabiliter excruciantem, se conuertit. Os clauditur, nec amplius laudes ac præconia de glorio-

sis

**Sensus
peccato-
rum.**

**Inquietu-
do animæ.**

sis ac magnis rebus Dei, quas animæ olim
præstítit, eloquitur; sed exsultatio conuer-
titur in querulam lamentationem, & quo,
sæpius pristinorum temporum & rerum fe-
licitas memoriam subit, eo acerbius præ-
sens iactura sentitur. Etiamsi homo tunc
vires omnes intendat & exhauriat, ex-
tentatione tamen non emergit, sed quasi
muro circumdatus est, & quamdiu Deus
illum vult clausum esse, tamdiu pati, fer-
re & tolerare debet, quicquid admiran-
dum ipsius consilium in eum decreuit. Im-
mo nonnumquam in peius itur, vt adflig-
tio crescat, vires autem magis magisque
imminuantur; ita quidem, vt anima nec
vestigium reperiat, nec quasi gradum con-
spiciat, in quo pedem figendo auxilium
præstolari possit. Vbi cogitat, si miser iste
status vel vnum adhuc diem continuet,
actum de se fore & in orcum se demersum
iri; fieri tamen nihilo fecius potest, vt cum
eiusmodi quotidiana formidine & pusilla
nimitate adhuc diu conflictari necesse ha-
beat. Huiusmodi casus in *Iobo*, in psalmis
Davidis, in scriptis *Vatum* ac *Pauli* passim
descripti leguntur. *Iob.* III, 20-26. VI, 4.
II. 12. VII, 3. 4. XII, 14. XVIII, 4. XXX,
21. 26. *Ps.* LXXXVIII. CII. *Thren.* I, 12.
III, 7. 12. 17. 18. 2 *Cor.* X, 7. 8. 9. Quo
in statu miserrimum est & durissimum, vbi
animus ab impatientia, fremitu, odio, ini-

D 5

mici-

micitia & contumelia in Deum, tamquam ab hoste crudeliter armato, impetratur & oppugnetur, etiamsi huic conditioni suæ ingemiscat & repugnet.

**Quomodo
se gerat
Deus in
tentatione
silens,**

** *Q u o m o d o* Deus O. M. erga eiusmodi afflictum hominem se gerat, perspicue intelligitur ex historia *Cananææ Mat. XV, 21 seq.* Seruator videlicet, illa calamitatem suam multo cum clamore & supplicatione indicante, initio prorsus tacebat. Eamdem rationem Deus init, caligine & nocte hominem opprimente variisque tempestatibus & procellis afflictionum concutientibus. Animo videlicet se non sistit sentiendum; consolationis non redditur particeps; etiamsi multum oret, nihil tamen responsi fert; si calamitates & dolores Deo aperit, non audit; immo quamvis multum laboret, multumque deceret, in vanum hoc fieri videtur, nihil leuamenti nihilque auxilii sentitur. Neque in verbo suo se inueniri sinit. Mens in multa divinissimarum veritatum lectione & meditatione solatii expers manet & sitibunda. Maxime eximia promissa spiritui operto obsignata ænigmata sunt & visa. Ut summatim dicam, Deus ab homine recessisse, e templo & habitaculo suo pristino exiisse, obdormiuisse, immo mortuus esse videtur. Ex hac occultatione tristes querelæ *Davidis* ortæ *Ps. LXXVII, 8. 9. 10. II.* Adeone in perpet-

perpetuum adsperratur Dominus, vt deinceps
 futurus non sit? Prorsumne finita est eius cle-
 mentia? Desieruntne eius promissa in omnia
 saecula? Oblitusne facilitatem Deus, misericor-
 diam sva m pre iracundia cohibet? Enimue- durum se
 ro Deus ad istas querelas interdum adhuc præbens.
 duriorem se præbet, vti Seruator Cana-
 næam, supplicationi insistentem, canem
 nominabat omni liberatione & ope indi-
 gnum. Eodem modo Deus adflictam men-
 tem tractat, dum illi semper fit formido-
 losior, terribilior & plane crudelis, vt non
 ad iuuandum sed perendum, non ad li-
 berandum sed ad perducendum in mor-
 tem, orcum & exitium æternum penitus-
 que euertendum se accinxisse videatur.
 Inde querimoniae nascuntur: *Animus mihi
 malis satur est, meaque vita ad inferos usque
 accedit. Tu me ad imum deirudis barathrum,
 in profundæ caliginis locum. Super me in-
 cumbit excandescens tua, adeo omnibus ir-
 rumpentibus tuis fluentibus adfligis vehementer-
 simus. Pauper sum & moribundus a concus-
 sione, perferens terrores tuos, animi pendo.*
Pf. LXXXVIII, 4. 7. 8. 16. Quomodo
 cumque autem hæc se habeant, firma &
 incussa manent verba:

*Nil designabit damni Pater optimus in te,
 Submerget nauem nullæ procella tuam.*

*D*eus profecto sub hac animum homi- Intentio
 nis tractandi ratione beatissimum ludum & Dei.
 sapien-

sapientissimam intentionem habet: consilio quidem & prouidentia mirificus est, vt ratio humana & sensus magnopere offendantur, ad gloriosum autem exitum rem perducit; id quod nemo melius dicit, quam qui tales vias experitur earumque finem patienter præstolatur. *Ies. XXVIII, 29.* Accedit, quod onus, licet maxime intolerabile videatur, non imponat grauius, quam vires hominis ferundo sunt, nec increscere sinat supra, quam possit sustinere. Immo vero dum calamitates & tentationes immittit, euentum earum iam decreuit, vt omnino nullam afflictionem in liberos suos permisurus esset, nisi certissimum auxilium & liberatio ex eadem feli-cissime consecutura esset. *1 Cor. X, 13.* Itaque in tali rerum statu nihil melius est, quam credere & de fide fidelissime certare.

*De fide
forti.*

*** **FIDES**, quæ ex tam duris tentationibus liberare in illisque conseruare debet, non est fides puerilis, quæ id tantum comprehendere vult, quod oculis usurpare & manibus tangere potest, adeoque supra sensum nec fidere nec exspectare vult; sed animum in his exercitiis, nihil etiam sentiendo, gratia, ope & liberatione diuina nisi oportet. Id quod non nisi in hac scho-la discitur; vt firmiter perstare & credere incipiamus, quamvis nihil videamus. *Hoc
qui*

qui intelligit in eo que se recte exercere cupit, præ multis aliis a CHRISTO beatus vocatur, quando air: *Beati, qui non vide- rint & tamen crediderint.* Io. XX, 29. Immo necesse heic est, etiam contra sensum credere, quod, licet in animo nihil nisi orcus, mors, peccatum & diabolus se commoueat, fides tamen cælum, CHRISTVM & omnem beatitudinem apprehendat & firmiter teneat. Hanc artem bene comprehendit & exercere didicit Paulus, quando 2 Cor. VI, 8. 9. 10. ita scripsit: *Per gloriam & dedecus, per malefacta & benedicta: qua- si fallaces, & tamen veraces: quasi ignoti & tamen noti: quasi morientes, quum tamen vi- vamus: quasi qui castigemur neque tamen ne- cemur: quasi dolentes & tamen semper gau- dentes: quasi pauperes, quum tamen multos locupletemus: quasi nihil habentes & tamen omnia tenentes.* Similiter cap. XII, 10: *Proinde mihi placeo in debilitatibus, in contu- meliis, in rebus aduersis, in vexationibus, in angustiis pro CHRISTO.* Dum enim debilis sum, tum fortis sum. Hoc est breuibus: Si ea, quæ video & sentio, considerare volo, intrinsecus & extrinsecus afflictione, an- gore, tristitia, contumelia, infirmitate, ca- lamitate, cruciatu & morte labore: ve- rum per fidem res inuisibiles intueor, quas in CHRISTO habeo, inuenioque consola- tionem, lætitiam, tutelam, fortitudinem,

hon-

honorem, gloriam, salutem ac vitam æternam; & hoc mihi animum addit & vires insuperabiles.

Gratia fidei.

Hac doctrina de fide illiusque diuersis gradibus fundantur diuersæ etates in christianismo, qua de re *Ioannes* apostolus loquitur i *Ian. II*, 12, 13, 14. vt, qui in illo crescere & progredi velit, is eo conniti debeat, vt in fide proficiat; quod autem cimelium sine certamine & ductu Dei per obscuras vias non obtinetur. *Filiolis* scribit *Ioannes*, quod remissa illis sint peccata. Hæc enim res illis omnium maximi momenti est, quam si non deprehendunt in dulci amore Dei, omnia perdita, cælum & beatitudinem præclusam & gratiam Dei amissam esse, autumant. *Ioannes* etiam scribit: *Nostis Patrem*, nempe ut dulcem & blandum *Abba*, cuius ex corde lac & mel sugunt. Enimuero diabolum nondum recte norunt; hinc si vel minimum negotium illis facessit & nouum bellum denuntiat, tantopere terrentur, vt omnem Patris caritatem ipsiusque consolationem obliuiscantur. Contra ea adolescentes malum vicerunt didiceruntque nosse; dum in tentatione, vbi se occultauit Deus, & diabolus execratione & minis eos acriter visit, ad diuinæ promissa confugerunt, hæc ipsa, non habita certaminis sui & diuinæ occultationis ratione, per fidem apprehenderunt, ea que

Filioli in christia-nismo.

Adolescentes.

que re diabolum sibi subiecerunt, ut terro-
ribus illius locum nullum dare omniaque
eiusdem ignea tela sanguine CHRISTI pér
fidem extinguerent didicerint. Quo autem
in negotio experti sunt, huic hosti neque
aurem tum præberi oportere, si ad vanita-
tem mundi & subtilem carnis licentiam vel
securitatem allucere voluerit, quia alioqui
fides infirmetur, vt neque solatium neque
promissum diuinum vllum in animo hære-
re possit. Ideo fortis suni in illis quo manet obomond
Dei sermo per fidem, vt nec ad dextram - adibis
nec ad sinistram a sancta & tuta fidei via
deflectant. Pares autem cum cui a principe Patres,
pio est, norunt, videlicet ex diuturna exer-
citatione & alte fundata experientia. Lon-
go tempore obsequuti sunt Deo, & in mul-
tis difficultibus ac diuturnis temptationibus
apud ipsum perdurarunt, semper autem,
vbi hora probationis præterlapsa fuit, qua-
si manibus palparunt, Deum sub cruce ani-
mum haud mutasse, sed eumdem mansisse,
quem se antea in luce sua cum singulari ca-
ritate & fide ostendit. Immo Deum adhuc
eumdem esse Deum, qui Abrahami, Isaiae
& Iacobi Deus fuit, suosque adhuc hodie
æque sapienter, recte & gloriose posse du-
cere. Itaque tristitiam & lætitiam, lucem
ac caliginem indifferenter acceptare adsue-
verunt, dummodo in voluntate & bea-
ta gubernatione Dei quiescere potuerunt.

Per-

Persuassissimum enim habent, Deum non posse non propitia esse voluntate, ad gloriam & coronam omnia tendere tempusque certe venturum, vbi vniuersas perpessiones læta messis infsecutura sit. Quare credunt, etiam si nihil videant vel sentiant, voluntatem suam omnem in mortem trididerunt illiusque plena deditio in fidam prouidentiam, manus & arbitrium Dei contenti sunt.

**Quomodo
crescen-
dum in
fide.**

Si vero in fide, vt par est, proficere ac crescere volumus, *ante omnia mysterium regni crucis Domini nostri IESV CHRISTI* recte perspicere nos oportet. Impiis id omnino stultitia est; saepius inibi occurunt, quæ liberi Dei neque cum ratione sua, neque cum pristina experientia, immo nec cum ipso Dei verbo commode conciliare queunt.

**Mysterium
crucis.**

Quam ob caussam diligentia adhibenda est, vt in sequentibus veritatibus firmum fundamentum habeamus de illisque per viuam experientiam recte conuincamur.
 1. Sine cruce & afflictione nemo christianus fieri ac manere potest. 2. Beatitas & utilitas afflictionis tanta est, vt illa nos indigos reputare, & si diuinitus dignamur, maximopere gaudere Deumque celebrare debeamus. 3. Internæ tentationes & certamina fidei grauius quidem & durius adficiunt, quam omnes externæ perpessiones,

ad

ad nostri autem emendationem, purificatio-
nem & præparationem ad magnam & inuisi-
bilem gloriam ac maiestatem tanto plus con-
ferunt. 4. Crucem, quam tua eligit natu-
ra, Deus non comprobat, sed tuam gratis-
simam voluptatem adgreditur, teque adfli-
git ex ea parte, vbi tibi molestissimum est:
Eam ipsam autem ob caussam vera crux est,
a Deo imposta. 5. Certamen tuum & res
aduersæ in mortem usque durant, horis se-
cundis continuo miscentur, immo crescen-
tibus viribus tuis, crescunt. Vnde animum
nequaquam despondere conuenit, quasi
peregrinum quid tibi accideret; neque ve-
ro quietem & liberationem a certamine
tibi persuadeas, donec in extremo halitu
possis dicere: *Consummatum est.* 6. Pater-
nus Dei animus erga liberos suos in dolo-
re & gaudio immutabilis est: vnde suspe-
ctum tibi esse haud decet, etiamsi contrari-
um sentias. Immo calamitas ipsa non pro
signo iræ, sed pro beneficio & signo fide-
lissimi & summi amoris Dei a te habenda est.
7. Deus autem solus est, qui res aduersas in
liberos suos permittit ac statuit; neque inimi-
ci, ullum capillum sine illius permisso nobis
auferre possunt. Hoc animo tuo magnam
pacem dabit, si ad solum Deum respexeris,
nec caussis aduentitiis rem conficere
studueris. 8. Peccatum in te habitans pro-

E

maxi-

-itior

maxima calamitate, immo pro infensissimo
hoste, perniciem tuam quærente, reputare
discas. Quapropter in implacabili quidem
inimicitia aduersus illud perseuerare, at fi-
mul firmiter credere debes, Deum tui sub
hac conditione tua misertur esse. Etsi
durum animum tuum acrius tractat, ex com-
miseratione & amore hoc facit, & te ipsum
lætari par est, quod iam liberatio tua ap-
propinquat. 9. Ipsæ etiam aberrationes & in-
firmitates tuæ Deum ad iram non prouo-
cant, sed ille tantum te ob eas castigat, ut
submissior, sanctior & prudentior euadas.
10. Diuinæ nobiscum agendi rationes mirifi-
cæ sunt & rationibus nostris aduersæ; fidem
enim, quæ rationem ac mentem superat,
efficere debent. Igitur noli mirari, quan-
do in rebus aduersis permulta cum pruden-
tia, cum sensibus tuis & viis electiis con-
ciliare non potes. 11. Durans calamitas
crescit & in dies vrget acrius. Vbi vero ad
summum fastigium peruenit & tuum ipsius
consilium auxiliumque in nihilum redigit,
ut te nihil scire nihilque valere aperte vi-
deas: vis illius remittit, & elucens viua fi-
des ex arida solitudine in amœnum plenum
que recreationis paradisum te intromittit.
12. In perpetuationibus non est semper victo-
ria, si auferuntur: sed si fidem concipimus,
in gratia Dei acquiescimus & in debilitate
forti-

fortitudinem C H R I S T I p r æ dicare discimus,
tum constans & l æta crucis toleratio nobilissima vi c t o r i a e s t . 13. Ex his omnibus crede & disce firmiter, te duci ex consilio Dei, quod quidem mirabile, gloriosum autem & honorificum exitum habiturum sit. Plura istiusmodi crucis mysteria ex sanctorum exemplis, in verbo Dei recensitis; maxime autem ex sua ipsius experientia discere quisque potest, si in rebus aduersis virum se p r æ stet & ad victoriam v s q u e dimicet.

I N D E autem liquet, fidem certantem Quomodo
se habeat
fides in
certamine. non semper multo cum sensu, perceptione, consolatione & l ætitia esse posse coniunctam. Quod enim si esset, ipsa afflictio cef saret, vt vis & dolor illius non sentiretur. Quare satis habere debemus, si ex fide nostra interdum sincerum tantum & ardens desiderium diuinæ gratiæ eluceat, quocum generale odium in peccata vniuersa & seruum certamen consociatum est: Si sedati & patientis animi esse possimus, vt in fide quietescamus, immo si tantum non credamus, sed viriliter persistamus, nec diabolo terga demus. Talis fides gloriosam victoriam certe reportabit, etiamsi certamen dolorem adferat, & ratio semper contrarium vaticinari & persuadere conetur.

v. 7.

*So wird dein Licht aufs neu entstehn,
Vnd wirst dein Heil mit großer Klarheit
schauen;*

*Was du geglaubt, wirst du denn vor dir sehn,
Drum darfst du nur dem frommen Vater
trauen.*

*O Seele, sieh doch, wie ein wahrer Christ
So selig ist.*

Metaphrasis prosaica.

Tunc lux tua denuo orietur,* tuamque salutem clarissime conspicies; quod credidisti, id tunc coram intueberis, quare optimo Patri tantummodo fide.** O mens, vide quæso, quam beatus sit verus christianus.***

Interpretatio metrica.

*Tunc iterum tibi lux orietur, notaque valde
Illustrato animo dona salutis erunt.*

*Iam specias, tua mens quæ credidit, ergo futuro
Tempore clementi fidere perge Patri.*

*Perpendas etiam, quam felix quamque beata
Veri cultoris sors sit ubique Dei.*

Vfus certa-
minis
fidei.

* SEQVITVR his in verbis egregius vesus, quem homo christianus habet, si præclarum fidei & euangelii certamen ingrediatur in eoque se exerceat. Nimis, si vere Iebouam reueretur, adhuc autem in tenebris quis-

*quidem ambulauit, sed tamen nomini Domini confisus Deoque suo innixus est. Ies. L, 10. Tunc lux ex ipsis tenebris iterum oritur & re-
ctis animo l^etitia, Ps. CXII, 4, LXXXVII,
11. Hoc loco tenebras non ignorantiam, cæ-
titatem & occæcationem impii, sed tenta-
tionem & occultationem Dei significare,
iam in antecedentibus explicuimus. Con-
tra ea lux generatim fides est, quæ totam
mentem collustrat, speciatim vero beatus
ille status hominis ex Deo nati, in quo
bonis salutis fru^titur & præcellentⁱ IESV
CHRISTI cognitione gaudet.*

*Q*uomodo autem lux in tenebris de- Ortus Iesu
nquo oriatur, ex sequentibus intelligi poten- cis ex te-
rit. Tenebræ, siue internæ afflictiones ani- nebris.
mi, lucem magni æstimate docent, vbi homo
in obscuro errat, omnibus in rebus offen-
ditur, & mentem multa sollicitudine excru-
ciat. Suscitant in animo acerbitatem &
odium in mundum ac negotia noctis, si ni-
hil nisi peccatum sentit & amaros fructus
illius in concussa conscientia magno cum
dolore experitur. E contrario efficiunt,
vt Deum esuriat & sitiatis, accendunt ardens
desiderium C^HRISTI, solis iustitiae: vt sin-
gulis ferme momentis ingemiscat: *Quando
veniam & in Dei præsentia comparebo? Ps.
XXXII, 2. 3.* Hoc animum ad serium
certamen compellit, vt ab omnibus, subti-

lissimis etiam, tenebrarum operibus liberatus in diuinam lucem & gloriosam resurrectionem ac redemtionem IESV CHRISTI penetrare contendat. Ideo adsiduis precibus certat, & ad firmum sermonem propheticum & apostolicum in obscuro animi loco lucentem, discit studiose attendere. 2 Petr. I, 19. Atque tum amantissimus Immanuel non se relinquit non testatum, nec animum blande alloqui in eoque euangelium per Spiritum suum illustrare cessat, donec prodeat ut splendor iustitia eius, & salus eius tamquam fax ardeat. Ies. LXII, 1. Vnde liquet, si tenebrae non essent antegressae, nec lucem sequi & oriri potuisse: & haec quidem maxime salutaris methodus & hic ordo est, quem cum liberis suis hac in re obseruat diuinum numen. Quanto altius igitur quispiam per gradus fidei adscendit, tanto constantius in eiusmodi tenebris sine offensione gradi & tanto beatius viuere poterit. Sic David Licet, inquit, per atram letiferamque vallem ingrediar, nihil mali metuam, quod tu mihi adsis meque tua virga consolatur & pedum. Ps. XXIII, 4. Et Mich. VII, 8 Si in TENEBRIS mansero, Iehouah mihi lux erit.

Felix lucis
post tene-
bras status
admodum
iucundus,

MEMORATE autem tenebrae luci & felici hominis christiani statui adhuc duo singularia commoda & emolumenta adferunt.

PRI-

PRIMVM lux numquam iucundior est & lætior, quam eo ipso tempore, vbi ex caligine elucet, atque in hac vicissitudine propemodum ita se habet, ut verno tempore videmus, quando scilicet solis splendor & calidus cæli aer, transactis diebus hibernis, animum ac corpus recreat. Causa istius iucunditatis lucis est, quod animus in afflictione eam cupidissime esuriuit ac sitiit, per amaritudinem mundi ab amore rerum creatarum vacuefactus. Lux, quia diu non splenduit, noua illi est & inopinata, & quum vidit, quam facile sibi eripi, quam difficulter autem reparari possit, tanto maior thesaurus & tanto pretiosior ornatus in oculis ipsius factus est. Hoc eleganter expressum legimus Ies. LVIII, 8. Tunc erumpet auroræ modo tua lux incolumentasque celeriter pullulabit, teque & tua præcedet iustitia & Iebouæ gloria excipiet. Et com. IO. Orietur in tenebris tua lux tuaque caligo erit ut meridies.

ALTERVM emolumentum tenebrarum purus ac est, quod exantlatis calamitatibus, lux tandem serenus est. Hic est salutaris iustitiae fructus, quem afflictioni tribuit Paulus Ebr. XII, II. Dum enim mala & vitiosa hominis natura per illam magis magisque infracta & a cupiditatibus mundi purgata est; gratia Dei animo tan-

to clarius conspiciendam se præbet, & quum peccatorum impedimenta per adficiōnem magis infirmata sint, homo postea cum tanto maiore animi pace tantoque tutius & constantius tam pretiosum thesaurū possidere potest. Vnde sæpe parua tristitia semen est magnæ lætitiae cælestis; & adhuc tolerata inquietudo, certamen & anxietudo animi pacem & quietem in multis annos adferre potest. Verumtamen adhuc paullo curatius considerabimus, quid animus hominis credentis experiatur, vbi lux post tenebras exorta fuerit.

**Eminens
cognitio
Christi.**

** His verbis comprehenditur *eminētia cognitionis IESV CHRISTI* vbi tenebris propulsis claritas Domini animum collustrat & ad salutarem bonorum gratiæ perceptionem per viuam fidem dicit. Quid tum in animo geratur, & quam valida sit mutatio, quando lux e tenebris oritur, suo exemplo declarat David, Ps. CIII, 3. seq. Illum enim eiusmodi vicissitudines sæpiissime experiri oportuit. Et verisimillimum est, hunc Psalmum in eiusmodi casum esse compositum, vbi ex diffliciiore quodam certamine & tentatione animi liberatus fuit, quemadmodum Psalmus proxime præcedens illud demonstrat.

PR.

PRIMVM, in quo homo salutem suam Remissio
clarissime conspicatur, remissio peccatorum peccato-
rum est; sicut David loco memorato prædicat:
Qi condonat, inquiens, omnes iniquitates
tuas. Condonatio peccatorum ineffabili-
lis thesaurus gratiæ est, & pretiosissimum
τειμήλιον liberorum Dei. Mundus quidem
eam parui æstimat, putatque nihil facilius
esse, quam Deum placatum & peccatorum
veniam consequi. At vero qui in vera pœ-
nitentia, in tenebrisosis viis & temptationi-
bus expertus est viuide, quid peccatum sit,
quam terribilis Dei iustitia, & quam ar-
dens & consumens ira illius in conscientia
fentiatur, is profecto gustatum omnium
voluptatum perdidit, nec ad quidquam
ingemiscendo & certando magis iam ad-
spirabit, quam ad obtinendam remissionem
peccatorum. Quæ salus si in animo q̄ta pretiosus
fuerit, verissime etiam cum Davide poterit thesaurus
exclamare: *Beatus, cui remissum delictum,*
cuius obductum est peccatum. Beatus homo,
cui non imputat Iehouah culpam. Ps. XXXII,
l. 2. Tunc homo perinde animatus est, ac
si intolerabile onus ei ademptum sit; omnis
anxietas, formido & inquietus conscientiæ
euanscit & in magnam pacem in mitem
suaueisque amoris reconciliati Patris sui
cælestis sinum transfertur. Hic status ipsi
est instar late aperti paradisi, postquam tem-

E 5

pore

pore antegresso infructuosam & solatio vacuam solitudinem peragrare necesse habuit. Immo vero postquam aliquamdiu ex noto quodam cantico flebiliter lamentando supplicauit: *Entbinde mich, mein Gott, von allen meinen Banden, womit mein armer Geist noch so gebunden ist!*

Hoc est:

*Solute, Deus, mentem vincitis, cunctisque catenis,
Quae nimium religant;
iam lætabundus & viuide expertus canere
potest:*

*Wie wohl ist mir, dass ich nunmebr ent-
bunden*

*Von aller Sünd, durch Christi Blut und
Wunden. cet.*

Hoc est:

*Quam bene nunc valeo, mea mens ubi san-
guine CHRISTI
A vitiis cunctis libera facta meis cet.*

Item: Zerfliess mein Geist in IEsu Blut und Wunden, und trinck nach langem Durst dich satt: Ich habe nun die Quelle wieder funden, die Seelen labt, so müd und matt.

Hoc est:

Liquescar, mea mens, in CHRISTI sanguine et almis

Vulneribus: longam pelle bibendo sitim.

Iam

*Iam fontem reperi, largo qui flumine fessas
Et lassas mentes irrigat atque leuat.*

FUNDAMENTVM autem huius beatitatis Vnde sit.
tis est, quod mens CHRISTVM per fidem
eum ineffabili cruentorum vulnerum ipsius
virtute & claritate agnouit. Si CHRISTI
mortem piacularem & resurrectionis vim,
a Spiritu Sancto collustrata, viuide con-
spicatur, non potest non cogitare, vniuer-
sa peccata propter suauem huius perfecti
sacrificii odorem a Deo sibi condonata
esse. Quid? quod delicta, quæ antea pro
maximis habuit, nec fide superare potuit,
adeo, ut ea sibi remitti non posse putarit,
iam haud aliter aestimat, quam guttulam
cum vniuersis aquis & maribus, totam ter-
ram cingentibus, comparatam, si cum im-
menso mari sanguinis ac meriti dilectissimi
Immanuelis ac Seruatoris sui illa conferat.
Neque adhuc inhærentes infirmitates, li-
cet eas non contemtim eludat, sed quoti-
die depurgare studeat, in hac luce a sua
vi fiducia, quam per CHRISTVM habet
apud Patrem, illam possunt depellere. Scit
enim, redemtionem CHRISTI æternam &
immutabilem iustitiam peperisse adeoque
se continuo nouum accessum ad ipsum ha-
bere, & singulis diebus, immo momen-
tis, peccatorum veniam ab eodem spera-
re

re sibi licere. Quamobrem non alia hora iustificatam, alia damnatam, hodierno die vestitam coram Deo, crastino autem nudam, inuestem & reiectam se esse posse. Persuassissimum enim habet, *nulli damnationi obnoxios esse, qui in CHRISTO IESU non carnis sed spiritus arbitrio pareant.* Rom. VIII, 1. Quinimmo non solum se in CHRISTO ab omni inquinamento, culpa & pena peccatorum per fidem liberatam agnoscit; sed etiam dum toga iustitiae IESU amicta est, pro sponsa regia & bene ornata parataque Agno coniuge se reputat; vt non sit, quod in conspectum Dei venire, in excelsam vnitonem iucundamque & beatam cum ipso communionem penetrare eam pudeat, Ps. LXI, 10. Beatus ille, cui hoc modo remissa sunt delicta, & qui in animo sine vana persuasione hoc vere ac viuide expertus est.

**Domini-
num in
peccatum.**

NEQUE vero homo in hac luce tantummodo remissionis peccatorum suavitate fruitur; sed etiam a dominio peccati se vere solutum sentit. Ideo David pergit dicendo: *Et medetur omnibus morbis tuis.* In tenebris vis peccati imperium in hominem affectat, vt nihil nisi soueas ante se videat, in quas ipsum præcipitare Satanus nititur. Hoc tum feliciter inuertitur,

quan-

quando sol iustitiae splendorem suum omnipotentem in animum denuo immittit. Hic tenebras & noctem depellit & vires peccati infirmat. In lumine Seruatoris sui videt lumen viuentis Dei, ab eoque efficaciter collustratur, ut omnem gloriam mundi & peccatorum oblectamenta propter huius cognitionis praestantiam pro damno habeat. Immo incenditur, calefit, mutuo in ipsum amore exardescit, vt desideria, vota & cupiditates illius ab omnibus rebus auocentur in Deumque & CHRISTVM ferantur, vt se vrgere sentiat ad libenter obliviscendum ea, quae sunt a tergo, ad ea vero contendendum, quae a fronte sunt, nimirum ad palmam, ad quam superne vocatus est, dininitus per CHRISTVM IESVM. Phil. III, 14.

QVOD igitur hoc gratiae lumen in se sollicite custodit homo, & quoad Deo placet splendorem illius ei concedere, tamdiu se in Filio Dei vere liberum factum agnoscit & experitur, vt, comparatione cum temporibus caliginosis instituta, peccatum non multo cum dolore sentiat, quia hoc a potenti Immanuelis praesentia magna obstacula reperit, vt ictus suos tanto cum dolore infigere haud queat. Et quam- Quomoda
vis in hac vita prorsus extirpari non pos- conserue-
sit, tur.

fit, sed adhuc continuo se moueat & contra exortam in animo lucem occultum quidem, at malitiosum, certamen teneat; homo tamen virtute CHRISTI semper sine magno negotio vincere potest, dummodo in luce maneat, nec in tenebris fas vias rationis & arbitrii proprii legisque coactio- nem iterum se abripi patiatur; ab altera autem parte vigilet atque oret, & a subtilibus malitiæ viribus speciosaque carnis libertate diligenter sibi caueat. Et hoc est *cum metu ac tremore salutem agere.* Phil. II, 12. Si inæstimabile καιρόν efficacis fidei testaceis vitiosi cordis vasis possidentes circumspectos nos geramus, & ad omnia, quæ ante oculos sunt, adgressus omnes & lapides offensionis studiose attendamus, ne negligentia, minus necessaria anxietate & diffidentia, neue consensu in peccatum vas nostrum corrumpamus & pretiosum thesau- rum amittamus. Phil. II, 12.

Ita quidem christiana vita perpetuum continuumque certamen manet; hoc ta- men cum discrimine, quod in tentationi- bus peccatum potentiam magnam ostendat, & superaturum, gratia autem cessura & succubitura videatur. Contra alio tem- pore gratia rursus tam validam se præstat, ut adgrediones tenebrarum valde languidae nec

nec adeo dolorosæ & sensibiles sint; maxime quia facile est, armis spiritus illas statim superprimere. Hoc menti inenarrabilem quietem concedit. Cui in durioribus certa- Dulcis minibus cum *Paulo* necesse fuit exclamare: quies in *Miser ego homo, quis me ab huius mortis cor-* hoc statu.
pore liberabit! is hanc veritatem facile comprehendet. Peccatum terribilis tyrannus in miseram mentem est, cuius cupiditas spiritum multa ægrimonie & sollicitudine perturbat, priusquam ex voto expleri potuit, expleta autem insatiabilem famem & sitim, displicentiam animi, immo ingenitem conscientiae angorem & cruciatum parit. Quisquis igitur peccatum in morte *CHRISTI* superauit, & in resurrectione illius nouam lucem & vitam ad superandum hunc atrocem tyrannum adeptus est, is felicitatem, gaudium ac beatitudinem suam non satis æstimare sciet, sæpeque *Dauidis verba gratus usurpabit: Collanda anima mea Iehouam, qui omnes morbos tuos sanat.*

Qui hæc duo beneficia recte confide- *Vindica-*
rat, & simul tam præteritum quam præ- *tio ab in-*
sentem statum suum perpendit, is itidem *teritu.*
non poterit, quin læto ore prædicet: Qui
vindicat ab interitu tuam vitam. Spiritua-
lis vita in tentatione & viis caliginosis ma-
gno periculo expôsita esse videtur, &
reapsc

reapſe facile euanesceret , & ab hostibus
eriperetur , niſi Deus occulta vi animum
ſuffulciret . Vbi enim caligo & tenebræ
mentem circumdant , duæ res animæ ma-
gnopere terribiles ſunt , per quas mortem
ac perniciem ſibi instantem dolenter intue-
tur . Vna quædam eft indignationis & iræ
diuinæ in infirmitates , ſingulis momen-
tis ſe prodentes , ſensuſ : altera magna de-
bilitas & virium inopia ad r eſiſtendum po-
tentiaſ peccati , quæ anxietaſ & metum
parit , ne vincatur & præda hoſtium fiat .
Qui igitur gratiam Dei pro re magni mo-
menti habet , neque adeo quidquam præ-
ter viuum Deum deſiderat & poſſidere cu-
pit , eum profecto in hoc rerum ſtuſ ali-
quid tolerare oportebit ; præſertim fi ,
quid cælum , quid orcus ſit , iam ante per
viuam experientiam intellexit , & tamen
hoc tempore nihil diſſicilius eſſe ſentit ,
quam credere & viuere . Enimuero au-
xilium Dei poſtea tanto potentius eſt &
beatiuſ , quando lux i pſiuſ in mente denuo
mañiſtatur . Patebit videlicet , Deum
hac ipſa via animum ab exitio vindicaffe ,
quod perniciem illi ſuam perſpicue ob-
oculos poſuit eumque ad portas orci de-
duxit . Tunc Deum laudare ac celebraſe
poteſtit ex Ief . XII , 1 . Ago tibi , Iehouah ,
gratias , qui quum mihi fuiffes iratus , me ,
ſicq[ue] i ra

ira ista cohibita, consolatus es. Cum *Paulo* etiam poterit dicere: *Dum debilis sum, tum fortis sum.* 2 Cor. XII, 10. Iesvs enim, Dominus noster, admirabilis vocatur, & sanctos suos admirabiliter regit. Ex ira gratiam, ex morte vitam, ex pernicie liberationem, ex diffidentia fidem, ex maiestitia & anxietate laetitiam & salutem, ex tenebris lucem, ex stultitia sapientiam, ex paupertate summas diuitias, ex ipso orco cælum & æternam gloriam producit. Hac via CHRISTVS præiuit, beatusque est, qui viam illius & vestigia ita premit. Ex viribus propriis in nihilum recidit, in Deo autem, Domino suo, omnia in omnibus adsequitur.

ORITVR proinde ex tam validis fidei Anima certaminibus & temptationibus illustris vita, id quod David his verbis declarat: *Qui clementia te & misericordia coronat.* Quemadmodum liberi Dei iam in hac terra redempti Iehouæ & victores sunt, simul autem utrumque in futura æternitate sibi promissum exspectant: Ita duplex victoriae & coronæ genus datur, nimirum corona gratiæ & sempiternæ gloriæ. Quando Immanuel vitam animæ ab integratitudine vindicat, hoc tum fit, ut diximus misericordia, vbi lux gratiæ radiis suis per esu-

F rien-

rientem animam denuo p̄meat ac transit,
 & amoris illius vis in animo per viuam si-
 dem rursus percipitur. Hæc Dei gratia
 spiritum ex impotentia in diuinam poten-
 tiā & inuincibile robur transfert, vt
 de hoc verba Apostoli repeti possint:
*Non dominabitur ei peccatum, quippe quum
 non sub lege sit, sed sub gratia.* Rom. VI,
 14. Quamobrem iure dici potest, gra-
 tiam coronare hominem; quia eum vi-
 ëtorem peccati, mortis, diaboli ac mun-
 di efficit. Id quod eo præclarus se pro-
 dit, quando in profunda miseria & per-
 nicie gratia diuina potenter se exserit, &
 ex morte quasi in vitam transfert, vt per
 diuinam misericordiam ex hostium suo-
 rum manu liberatum se videat, & inflam-
 metur ad seruiendum Seruatori suo sine
 metu cum sanctitate & iustitia in conspe-
 ctu ipsius cunctis vitæ suæ diebus. Luc. I,
 72-75. Tum discitur, quid & hoc sit:
Qui clementia te & misericordia coronat.

Os aperi-
tur in lau-
dem Dei.

TUNC homini non aliter vſu venit at-
 que Israelitis, vbi ex sœuentium Ægy-
 ptiorum manu liberati & per mare rubrum,
 quæ Dei erat potentia, traduci, lætis cantici
 Deum suum celebrarunt. Vti hoc ipsum
 canticum *Mof̄s* typus cantici Agni fuit. Hinc
 in psalmo nostro pergit David: *Qui satiat
 bonis*

bonis quibusque os tuum. In angustia homini os clauditur, quia præ siccitate animæ nihil eloqui potest & in miseriæ suæ contemplationem intrinsecus conuertitur, vt cogitationibus & mordacibus curis se angat & excruciet; aut certe nihil aliud quam lugubrem lamentationem ore querulo efferre valeat. Quando vero id, quod hactenus descripsimus, per solem gratiæ in animo suboritur; tunc spiritus & os rursus aperitur, vt hæc verba profrantur: *Collauda, anima mea, Iehouam, Et totum peccatum meum sacrum eius nomen. Collauda, anima mea, Iehouam, nec obliuiscere ullius beneficiorum eius.* Psalm. CIII, 1. 2. Nunc silere non potest, quin gloriam & virtutem prædicet eius, qui tam eximum auxilium præsttit, & in lucem suam mirabilem mentem tam feliciter iterum perduxit. Vniuersæ vires animæ corporisque membra omnia iam commouentur & quasi exæstuant, vt laude Dei exundent, ita quidem, vt gratia animi hac exundatione non diffluat, sed magis magisque scaturiat & abundanter augeatur, vt hilaris sit maneatque in Domino in eoque semper lætetur.

*Atque ita hominis quasi aquilæ innentia Renouatio
renouata est.* Alio loco queritur David: hominis

F 2

*Oculi quasi
aquilæ.*

Oculi mibi præ mœrore contabescunt, & inter tot hœs meos consenescunt. Psalm. VI, 8. Similiter: *Mea quasi fumus euaneſcit ætas, meaque membra veluti torris areſcunt. Cor mibi velut ita ſiccatur herba, imme- mori capiendi cibi. Psalm. CII, 4. 5.* Ita ergo homo ſe habet, vbi ſtabilimento ſuo ſe excidiſſe animaduertit. Vires ani- mi deficiunt, quemadmodum in effœta ſenectute ſuccus conſumitur, quo in ſta- tu ſe ad aliquid ſpirituale bonum ope- randum prorsus infirmum & ineptum ſentit. Immo non raro corpus adſfigi- tur, vt facies contabefcat, & priftinæ alacritatis viriumque naturalium decre- mentum exſiftat. Simulac vero diuina gratia & potentia euangelii rursus pa- tefcit, & ſucci vitales ex vulneribus CHRISTI in animum denuo influunt ei- que impertiuntur; nouam vitam conſequitur. Lumen fidei rursus prorumpit & mens in Deo ſuo ſpem lœtam habet. Hinc viribus adoleſcit, & pennis ſpei atque amoris adſcendit, velut aquila, vt currat nec delafſetur, pergaſ nec defa- tigetur. *Ief. XXXX, 31.* Et hoc eſt:

Iam ſpectat tua mens, quæ credidit, er- go futuro

Tempore clementi fidere perge Pa- tri.

QVOD

Quod Davidi usu venit, idem illud adhuc hodie quævis anima experitur, quæ probationem Dei patienter sustinet nec fiduciam abiicit.

*** Hoc effatum, quod veri christiani sors tam felix tamque beata sit, res sors omni occulta est iis, qui in tenebris & umbra impiorum mortis iacent, longe autem manifestissima veritas illis, qui viarum Dei aliquam tantum experientiam habent. *Iobus* quidem & auctor *Psalmi LXXIII.* felicitatem malorum & infortunium piorum queruntur. Verum hoc in magna tentatione & animi perturbatione fecerunt, vbi minus recte de diuina gubernatione loquuti sunt, quemadmodum postea ambo ipsi se reprehenderunt & dicta reuocarunt. *Psalm. LXXIII,* 15. cet. Nam 1. Mæror piorum beatior est, quam lætitia mundana quæque impiorum. Iste occultam consolationem & spem habet, fore, ut auxilium Dei tandem compareat; hæc autem inquietudinem & insatiabiles cupiditates, animum continuo excruciantes, constanter eomites habet & facias. 2. Tentationes & mærores fi-delium sunt viæ Dei, ad emendationem facientes, mundum amarum, cælum autem dulce reddentes ad vitamque perdura-

centes; contra vero voluptates mundanæ viæ latæ sunt mundi, quæ ducem habent satanam, & quarum exitus est æterni exitii barathrum.

3. Impii vita sua delicata abutuntur & tamen ea fibi varias plagas attrahunt, in quibus neque apud Deum neque apud mundum ullum verum solatium reperiunt. Calamitates autem piorum etiam in hoc mundo fæpius in ineffabili beatitudine multisque cœlestibus deliciis terminantur, ut omnis afflictionis obliuiscantur, immo calamitates ipsas in maximis beneficiis fidelissimi Patris, qui in cœlis est, ponant.

4. Vita, quæ in peccatis viuitur, spiritualis somnus est & iugis ebrietas, qua homo conscientiæ suæ morsus suffocat, ipsamque damnationem, cui re vera subiacet, non animaduertit: vnde a satana occœcatis oculis instar bouis ad macerationem ducitur, & in cruciatibus post mortem, vti diues epulo, plenus horroris, at sero euigilat. Contra ea liberi Dei non falluntur; euigilarunt enim, & CHRISTVS eos collusfravit, norunt & prædicant vias, per quas ipsos dicit, sciuntque, illas ad salutem & benedictionem, immo ad sempiternam & inuisibilem gloriam tendere, quem ad finem omnes illorum calamitates conferre oportet,

tet, vt æternæ & excellentis gloriæ pondus consequantur & perpetuo possideant. Quare homo credens omnibus in rebus felicior est impio. Vera enim beatitas hominis non in externa gloria, copia & terrestri voluptate, coronis, dominiis & regnis consistit, sed tantummodo in vera animi tranquillitate, conscientiæ pace & gaudio in Spiritu Sancto, quod in intimo corde residet, & in solo Deo per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM inuenitur.

v. 8.

*Auf, auf mein Geist, was fäumeß du!
Dich deinem GOT gantz kindlich zu ergeben?*

*Geb ein mein Hertz, geneuß die süße
Ruh;
Im Friede folst du vor dem Vater schweben:
Die Sorg und Last wirf nur getrost und
kühn.
Allein auf ihn.*

Metaphrasis profaica.

Age dum, mea mens, quid cunctaris te Deo tuo tradere? Fruere dulci quiete: in pace coram Patre viues:

F 4 curam

curam & onus fidenter & audacter in
vnum ipsum reiice. *

Interpretatio metrica.

*Dic, age, quid cessas, mea mens, te tra-
dere fido*

*Clementique Deo, qui bene cuncta facit?
Donatam in CHRISTO studeas retinere
quietem,*

*Perpetuaque bonum pace frui ante Pa-
rem.*

*Reiicias onus & curas audacter in illum:
Namque tui curam sedulus ipse gerit.*

Exploratio * Hæc vltima cantici nostri verba
status sui, applicationem grauemque excitationem
continent, vt homo renatus euangelicum
gratiæque plenum spiritum adipisci stu-
deat & ad vitam filialem, in conspectu
Dei agendam, contendat. Qua in re
ante omnia necesse est de statu quemque
suo certum fieri.

Qvi adhuc animum gerit resipisce-
re nescium & salutis æternæ incuriosum,
ille huius magni thesauri nullo modo ca-
pax est: & quidquid de remissione pec-
catorum & gratia Dei se credere existi-
mat, mera imaginatio & fallacia, neu-
tiquam

tiquam autem vera horum occultorum
gratiæ bonorum perceptio & viua vis est.
Quod enim si esset, fieri non posset, vt
talis homo in statu securitatis permane-
ret peccatoque porro seruiret. Quapropter ^{Via ad} Paulus sic animatos in hunc modum ^{vitam,}
adloquitur: *Experciscere, qui dormis, ex-
surge ex mortuis, & tibi CHRISTVS ad-
fulgebit. Eph. V, 14.* Et hoc consilium il-
lis maxime necessarium est & salutare, si
futuram iram effugere velint.

QVAM OB CAUSSAM homo vim legis
eatenus omnino experiri debet, vt pro-
fundam corruptionem & *αδυναμίαν* suam
feueramque Dei iram in peccatum vi-
vide agnoscat & summam iustitiæ IESV
CHRISTI purique & sanctificati animi ne-
cessitatem exinde perspiciat, vt ad CHRI-
STVM clamare discat: *Miser ego homo, quis
me ab huius mortis corpore liberabit? Rom.
VII, 24.* Quod si cupide & serio desi-
derat; similis fieri debet mercatori, abdi-
tum thesaurum in agro quærenti & pre-
tiosum vñionem sibi comparanti. *Matth.
XIII, 44. 45. 46.* Hoc est, CHRISTVM
eiusque iustitiam ardenter esurire ac si-
tire, eamque solam ita appetere debet, vt
nihil in toto terrarum orbe tanti pretii ab
ipso æstimetur, quinimmo vt ad alia omnia

F 5 abne-

abneganda, detestanda & deserenda paratus fit, quo huius thefauri & plenæ mystrii gloriæ particeps reddatur.

**Excitatio
piorum.**

Quia ita comparatus est, eum oculos mentis ad solem gratiæ conuertere oportet, ut nihil nisi IESVM CHRISTVM eumque crucifixum scire cupiat, quod scilicet omnis plenitudo Deitatis in ipso appareat, quod æternam redemtionem acquisuerit, & omnia totius mundi, speciatim nostra ipsorum, peccata sanguine suo perfecte deleuerit. Quod Pater per ipsum reconciliatus animaque amore in filio suo incensus sit, quod omnes adhuc adhærentes infirmitates patienter tolerare, quassatam arundinem non perfringere neque fumigans ellychnium extingue velit. Ex hoc filialem spiritum hauriri, omnem mærorrem, & curam, onusque omne in vulneribus illius demergi, a fœditate peccatorum oculos auerti & in dulcem quietem ac pacem conscientiæ penetrari oportet. Et hæc omnia fieri par est cum lepi spiritu sine multa disceptatione cum suborientibus cupiditatibus, ut, quamuis impetus earum non statim comprimi possint, animo patienti & transuersa facie intueamur tranquillaque fide cum CHRISTO in folio ipsius consideamus. Ita iustitia Ser-

vato-

vatoris tamquam splendor iusto tempore
orientur, & salus illius tamquam fax ar-
debit.

INTERIM & hoc semper bene notandum est, viam fidei euangelicam & cognitionem CHRISTI abditam esse, præcipue quidem proteruis hominibus & illis, qui sanctitatem ex lege adfendant; at piis etiam, quod ad perfectum gradum attinet, adhuc certo modo mysterium manere. Hoc eo prodeesse debet, ut hæc gratia tamquam summus thesaurus vere magni æstimetur, quem tam pauci vera cum efficacitate consequuntur. *I Cor. II, 7. cet.* Quoniam vero etiam illi, quibus Deus hanc reconditam sapientiam quodammodo patefecit, eam ex minima tantum parte perspexerunt & paukas dumtaxat guttas ex hoc inexhausto diuinæ caritatis & voluptatis mari gustarunt; ideo in vsu sitim eorum adhuc magis incendi & gustatu æternitatis exacui oportet ad certandum præclarum fidei certamen vitamque prehendendam sempiternam. *I Tim. VI, 12.* Hoc fidei certamen in hoc absoluitur, vt immobilibus oculis IESVM intueantur, gratiam illius sine intermissione amplectantur, omnes infirmitates & miseriae per ipsum superent, pacem & gaudium ex eodem hauriant, vocatum & electio-

nem

92 *Eminentia cognitionis IESV CHRISTI.*

nem sui, adoptionem & vitæ æternæ hæreditatem in ipso ratam & immotam efficiant, & denique omnes vires ad tolerandas calamitates & agendam vitam sanctam exinde fumant, vt cursum suum christianum multo cum fructu continent.

QVIS QVIS ita in *IESV* Domino habet fiduciam, *is arboris erit similis ad aquam satæ, suasque radices porrigit ad riuum,* quæ *æstus aduentum non sentit, sed frondosa foliis, secura siccitatis anni fructum suum edere non intermittit.* *Ierem. XVII, 7. 8.* Et hoc modo vita sementis erit, ex qua semper eternos gloriæ fructus in futura vita metet: qua ex re gaudium & lætitiam ante capere potest, maxime in dierum suorum fine, & cum *PAVLO* prædicare: *Præclarum certamen certavi, cursum absolui, fidem seruavi, quod supereft, reseruatur mihi iustitiae corona, quam miki Dominus reddet in illa die, iustus index.* *2 Tim. IV, 7. 8.* Quam gratiam concedat nobis *IESVS CHRISTVS* & omnibus, qui expetuerint illum ipsum aduentum!


Pag. 67. lin. 6 a fin. pro credamus leg. cedamus.
Pag. 80. lin. 10 a fin. pro viuere leg. vincere.



Epimetron ex B. AVG. HERM.
FRANCKII Institutione ad cogni-
tionem IESV CHRISTI.


p. 263. edit. lat.

Quanta res sit pax conscientiæ, paucissi-
mis perspectum est atque exploratum. Pagani quodammodo potuerunt co-
gnoscere, quantum malum sit, quæ huic
opposita est, animi perturbatio & inqui-
tudo. Sed verum huius rei fundamentum
introspicere non potuerunt, quia verbum
Dei ipsis defuit, humana autem ratio ac
intelligentia obtenebrata est. - Neque in
lege hoc κειμήλιον vlla ratione potest inue-
niri; in CHRISTO autem inuenitur & vere
imperatur. *Iustificati*, inquit Paulus, *ex*
fide pacem habemus erga Deum per Dominum
nostrum IESVM CHRISTVM. Rom. V, 1. Pax
igitur sequitur iustificationem. Quando vi-
delicet homo in ordine pœnitentiæ ac fidei
in IESVM reconciliationis ac redemtionis per
ipsum factæ in sui iustificationem particeps
factus est, tunc ea tamquam dulcissimus ac
iucundissimus fructus inde succrescit, in eo-
que consistit, ut istiusmodi homo credens
ac iustificatus nunc quidem a conscientia
mala solutus & omnibus iis liber sit, quæ
diuinam ei iram, exsecrationem & perni-
ciem importarunt, nimirum peccatis, nec
necessè habeat metuere, ne propterea a
Deo




Deo sibi pœna imponatur, sed potius in
CHRISTO omne patrii amoris, fauoris ac
gratiæ genus & hoc tempore & in omni
æternitate ab eo exspectare & libero ac fi-
liali ad ipsum, tamquam indulgentissimum
Patrem, aditu perfrui possit. Ex hac pa-
ce erga Deum deinde etiam tamquam iu-
cundissimus fructus succrescit pax in Deo,
seu tranquillata conscientia & mens hilaris
coram Deo. Quod ut eo melius intelli-
gamus, considerandum est, nullum, vel
sanctissimum etiam, hominem in conspe-
ctum Dei prodire posse ac dicere: Vides,
Domine, me per me ipsum omnis peccati
esse expertem, & propterea læto ad te ani-
mo posse accedere, quod inculpatus sum
& omni vitio careo; sed David dicit: *Pro-
pter hoc (nimirum propter peccatorum &
erratorum remissionem) oratus est te omnis
sanctus, quo tempore obuenerit: in inundatio-
ne aquarum multarum) seu tentationum &
adfectionum) ad eum non pertingent. Psalm.
XXXII, 6.* Pax igitur conscientiæ non
villo humano opere obtinetur, sed quem-
admodum CHRISTVS solus pacem inter
Deum & homines per sanguinem suum fe-
cit & reconciliationem acquisiuit; ita con-
scientiæ pacem non consequimur ante, nec
alio modo, quam quum per fidem reconci-
liationis per CHRISTVM factæ compotes eu-
dimus. *Quapropter veniente in hunc mun-
dum*

dum IESV CHRISTO angeli hanc pacem inter Deum & homines decantabant; tum enim conficiendæ huius pacis fundamentum iacebatur. Mortuo autem ipso pro nobis in cruce, pacificatio ista perficiebatur, vnde Seruator exclamabat: *Terminus, Consummatum est:* & a mortuis resuscitatus quum ad discipulos rediret, istam eis pacem adferebat hac vtens salutatione: *Pax vobiscum!* Atque ita hæc pax ex parte CHRISTI per eius mortem acquisita, per resurrectionem confirmata & per euangelium in lucem perducta est. Homo autem ex parte sua hanc pacem accipere non potest, nisi CHRISTVM fide apprehendat. Proinde hæc pax incomparabile bonum est, quod omnem mentem exsuperat, vti Paulus magna cum emphasi testatur Phil. IV, 7. Eiusmodi bonum est, vt, si quis vel minimum momentum degustauerit, quid vera pax erga Deum & in Deo sit, persuassimum habeat, in CHRISTO multo excellentius quid atque præclarius haberi, quam in toto terrarum orbe. Hoc ipsum tanto eum instinctu concitat, vt non possit conquiescere ante, quam cor eius pace, a IESV ipse acquisita, constanter perfruatur. Pauci autem sunt, qui in certam ac stabilem diuinæ huius pacis possessionem perueniunt. Causa est, quod ad CHRISTVM se, pro eo ac decet, perduci non patiuntur, vt veram vitam in fide Filii Dei adeoque & hanc diuinam pacem



cem in ipso habeant. *Io. V, 40.* Plerique doctrinis quibusdam ex lege petitis libentius aurem præbent, quam simplici & puræ euangeli adnuntiationi de *Iesu Christo*, quod *pro nobis* mortuus & suscitatus sit secundum scripturas. Si e. g. huius illiusue nomine, quo de sua eos arguit conscientia, quod in eo vel faciendo, vel omittendo peccauerint, reprehenduntur, aut si ad hanc illumue virtutem consecrandam admonentur, attente & libenter audiunt, in primis si id prudenter fiat. Lex enim moralis rationi aliquo modo nota est; Euangelium autem rationi incognitum est & obscurum, nec voluntam homini laudem relinquit: quare hoc ei non æque ac illa probatur. Multi eorum, qui Seruatoris voluntati obsequi serio student, libenter quidem euangelium audiunt, trepidantius autem timidiusque agunt: vbi ad purum de *Christo* euangelium remittuntur, sibi illud acceptare non licere caussantes, quasi *Christus* vel leo vel virus esset; cum tamen eo remittantur, vbi lucem, vitam, salutem, pacem, quietem & relaxationem animæ suæ inuenire possunt. Ideo etiam pacem Dei non gustant, quod *Christus* eis est manetque adeo incognitus, nec ad puriorem ipsius cognitionem se perduci patiuntur.





Fq 2870

8

m. 8

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



IO. LIBORII ZIMMERMANNI,
S. THEOL. IN ACADEMIA HALENSI
OLIM PROFESSORIS ORDINARII,

COMMENTATIO
DE
**EMINENTIA COGNITIONIS
IESV CHRISTI,**

TAMQVAM
RECTÆ, FACILIS ET BEATÆ VIAE

AD
**VERAS ET FIRMAS VIRES
IN CHRISTIANÆ VITÆ STUDIO**

ACQVIRENDAS.

EX GERMANICO IN LATINVM
CONVERTIT

I. H. G.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS ET IMPENSIS ORPHANOTR.
M DCC XLIX.